DE

EPHYMNIORUM

APUD

GRAECOS ET ROMANOS RATIONIBUS.

DISSERTATIO PHILOLOGICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

UT

SUMMI IN PHILOSOPHIA HONORES

SIBI CONCEDANTUR

SCRIPSIT

FRANCISCUS CASPARUS GOEBBEL

GUESTPHALUS.

GOTTINGAE

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA HUTHIANA.

VIRIS. ILLUSTRISSIMIS

CLEMENTI. HEIDENRICO. FRANCISCO

DAPIFERO. HERED. PRINCIP. MONASTERIENSIS. CAM.
SECR. DI. CAPPA. E. SPADA. S. S. PII. IX. P. M.

ET

FRANCISCO. HEIDENRICO. HUBERTO

COMITIBUS

DROSTE. EX. VISCHERING

SCRIPTOR.

Aliud est, retinere aliquid in textu, aliud, adsciscere primum vel ex conjectura reponere. Nemo autem ignorat, quam difficile sit, omnes maculas unum videre et eluere.

Wolf. Proleg. ad Hom. p. CCXLIII.

Praefatio.

Quum in poetis Graecis et Latinis tractandis versarer, mox intelligebam, ephymnia esse digna, de quibus accuratior disquisitio institueretur, quum usque ad hoc nostrum tempus nemodum, quantum quidem ego scio, illud genus versuum tractandam susceperit. Multas videbam obstare difficultates, quae haud facile superari possunt propter librorum pravitatem et scriptorum veterum ambiguitatem. Nam omnes fere libri manuscripti eorum poetarum, qui ephymniis usi sunt, si Virgilium exceperis, et recentiores sunt et multis inquinati vitiis plurimisque lacunis laborant. Praeterea carminum popularium, in quibus omnium maxime ephymnia obvia

sunt, perpauca nobis ex literarum naufragio servata sunt. Grammatici autem in definienda ephymniorum natura vehementer vacillant, neque invenitur, qui singulatim de iis exposuerit. Nostro quidem tempore Schneiderus de epiphthegmaticis apud Aeschylum exposuit. Alii viri docti, Hermannus, Meinekius, Hauptius, Ahrens in bucolicorum carminibus explicandis studia posuerunt, carmina vero popularia nonnullis locis emendari, Catonis Dirarum, Pervigiliique Veneris ratio strophica probabiliter restitui potuit. Qua in re timeo ne interdum nimis audacter versatus esse videar, quum pleraque ex conjectura reponenda et emendanda essent, codicibus nullum fere auxilium praestantibus. Sed excusatur audacia, ubi corruptelis salutem comparare potest.

Scr. Gottingae VIII. Cal. Febr. MDCCCLVIII.

De

ephymniorum apud Graecos et Romanos

rationibus

liber primus.

Caput primum.

De natura ephymniorum.

Apud omnes gentes inveniuntur carmina quaedam, in quibus aut in initio aut post certa intervalla singula verba aut versus repetuntur. In silvis, viis, pascuis, agris interque negotia quotidiana domestica homines plebei iis delectantur. Atque animadvertisse mihi videor id genus homines ejusmodi carmina ceteris praeferre omnibus, quamvis illa omni sententia careant, haec summum prodant ingenium. Adeo autem plebes repetitos versus adamavit, ut, ubi poëta repetitiones non fecit, ab ipsis huic quam putant necessitati subveniendum esse opinentur. Quae quum ita sint, omnes poetae, qui popularium hominum laudem appeterent, saepissime hisce repetitionibus usi sunt. Berangerium inter Gallos poëtam nominare sufficiat. Tanta vero diversitas varietasque in his repetitionibus cernitur, ut vix ullam certam legem constituere possimus. Repetuntur enim integrae sententiae vel in initio (ut Wolff. Volkslieder, ed. III. 1850. pag. 42: Wem steht das Kränzchen? p. 138: Trinklied) vel in fine stropharum. (l. c. p. 6. col. 2: Liebesklage, p. 13. col. 1: Verle-

genheit, p. 15: Die Todtenglocke, p. 21: Brasil. Liedchen № 1., p. 25: Die kleine Kalabresin, p. 98: Der Vater an seinen Sohn, p. 111. col. 2. p. 141: Bauernlied, p. 157: La mas bella niña, p. 158: Madre, un caballero, p. 454. p. 463: Herzog Magnus. 479. col. 2. p. 481: Rhigas-Hymne), vel plures versus partem strophae efficiunt aut in exordio aut in fine (l. c. p. 22. col. 1. 4. 5. p. 43: Die Eilfertige. p. 459), vel praemittuntur cuique strophae, et sequuntur ultimam. (l. c. p. 19: Geh Geliebter. p. 480: Die Riegohymne). Repetitiones singulorum versuum, vocabulorum, exclamationum diversissimae inveniuntur. Repetitur enim idem versus in initio cujusque strophae (l. c. p. 23: Nachtgesang, p. 131: Selbstgefühl) aut in fine. (l. c. p. 113. col. 1. p. 353. col. 1. p. 370. col. 2.) aut in principio et fine (Bechstein, Deutsches Dichterbuch, p. 310: Wenns immer so wär'). Etiam intra singulas strophas unus vel plures versus repetuntur, (Wolff, l. c. p. 22. col. 2.). Frequentissimae tamen singulorum versuum repetitiones in fine stropharum sunt, vel ita ut partem strophae efficiant, vel per se consistant (Wolff, l. c. p. 113: Die wunderbare Erscheinung, p. 122: Klaggesang, p. 131: Fuhrmannslied, p. 370: König Birger); vel unus versus in stropharum initio, plures in fine repetuntur (Wolff, p. 12: Schön Dännerl), vel vice versa (ibid. p. 95: Grenadierlied); vel duo in initio, duo in fine, (ibid. p. 93. col. 1. № 6), vel unus versus intra stropham, alter in fine iteratur (ibid. p. 179: Der stolze Schäfersmann, p. 180: Jung Hänschen, p. 275: Der Knab' im Rosenhain), vel duo versus diversa sententia alterni post singulos versus repetuntur (ibid. p. 175: Grossmutter Schlangenköchin, p. 323: Der blutige Sohn). Eadem qua singuli versus ratione repetuntur etiam singulae voces et exclamationes (l. c. p. 337, 420, p. 172: Kuruchli, p. 18. col. 1. p. 35: Der Gang in der Nacht, p. 168: Schön Maria, p. 146: Drei Reiter am Thor). Exclamatio in fine binorum versuum invenitur p. 59: Des Mädchens Wunsch, exclamatio et versus alterne post singulos versus p. 74: Der Kranz fiel von der Brücke.

Praeterea idem vel iidem versus toti carmini praemittuntur et sequuntur idem (p. 154: Llamo con suspiros, p. 156: Ojos garzos ha la niña). Scandinaviae gentibus ea est con-

suetudo ut primae strophae ultimum versum in fine totius carminis repetant, si interpretibus fides habenda est (Wolff, l. c. p. 234. utrumque carmen, p. 235, p. 237: utrumque carmen. p. 238, u. c. p. 240, u. c. p. 241, p. 242, u. c. p. 243, u. c. p. 244, p. 248, u. c. p. 250, u. c. p. 251, u. c. p. 252, p. 253, p. 254, carmen primum et secundum, p. 255, p. 258, alia plura). Illud etiam invenitur, ut vocabula, exclamationes versus, cuique strophae praemissi ultimam stropham sequantur (l. c. p. 23: Nachtgesang, p. 19: Geh. Geliebter), cf. Theocr. I. II. Virg. ecl. VIII. Inveniuntur etiam carmina integra, quae iisdem fere strophis constant (l. c. p. 67: Die Meerfreier, p. 73: Auf der Masuren Hochzeit gesungen, p. 143: Pater Francesco, p. 146: Babeli, p. 25: Mädchensehnsucht, p. 27: Der Abschied, p. 42: Wem steht das Kränzchen? p. 43: Die Eilfertige, p. 63: Der Ring, p. 83: Wenn die Hochzeitsgäste, etc.).

Satis ex hisce puto intelligi, quae quantaque in carminibus hominum popularium sit repetitionum diversitas varietasque. Quamquam paucissima repetitionum genera enumeravi. Omnes enim vix possis, ut quae ex canentium voluntate pendeant atque secundum gentium naturam indolemque differant. Animadvertisse enim mihi videor, hac in re Scandinaviae gentes ab Slavis, Slavos ab Germanis, Germanos ab Hispanis, Hispanos ab Italis, unam ab altera gente differre [1]. Sed tamen hoc loco altius hanc rem tractare non possum, quum de ephymniis nobis sit dicendum iis, quae apud antiquos scriptores inveniuntur. Quanquam de natura et origine ephymniorum paucis disserendum est.

Ac prima quidem caussa, cur in carminibus hominum popularium repetitiones plurimae inveniuntur in eo posita est, quod hujusmodi homines, ingenio parum erudito utentes haud facile sententiarum nexum ambitumque perspiciunt, et ubi perspexerunt, aptam sententiis formam difficulter comprehendunt, quum qui animum mentemque litterarum studio excoluerunt, facili negotio, dummodo poetae sint, sententias connectentes res erudite eleganterque disponunt. Contra homines non eruditi repetitionibus huic defectui subveniunt, praesertim, quum illa carmina sine cantu cogitari non possint, qui ne subsistat, initium vel finis prioris strophae repetitur.

Inter canendum alia sententia canentis mentem occupat, quae secundam stropham efficere debuit. Et sic deinceps. Hac ratione multa carmina esse facta, nemo sane negabit, qui aliquantum in coetibus illorum hominum versatus fuerit.

Accedit altera caussa, quae in amore studioque societatis et familiaritatis posita est. Haud facile enim unus canit; simulac plures adsunt, cantus societatem ineunt. Atque plerumque ita rem expediunt, ut is, cui optimam vocem esse putent, primas canendi partes suscipiat, ceteri accinant. Ac ne cantus perturbetur, multitudini eadem verba canenda tribuuntur, unus vel pauci carmen ipsum per varias sententias canunt. Qua in re ita potest agi, ut vel unus incipiat, chorus aeeinat, vel chorus initium faciat, et unus paucive accinant. Utriusque enim generis carmina reperiuntur. Haee igitur est origo carminum amoebaeorum, in quibus hoc animadvertitur, repetitos illos versus plerumque non uno eodemque verborum complexu cum straphis cohaerere. Sunt tamen aliae quoque repetitiones partem stropharum efficientes, quae plerumque singulis vocabulis et exclamationibus, rarius versibus constant, quod genus carminum inter amoebaea stricto sensu non est habendum, quum unus pluresve totum carmen canant.

Caussa vero princeps, ex qua omnes repetitiones, etiam eae, de quibus modo diximus, originem traxerunt, in animo (Gemüth) hominum popularium posita est, quum tristibus vel laetis rebus magis afficiantur, vehementius tangantur, quam qui turbulenta vitae consuetudine sentiendi facultates destruxerunt. Parvum namque in his societatis studium apparet neque magnam alieni doloris laetitiaeque curam gerentes, magis cogitantes quam sentientes vivunt. Istae vero repetitiones animi quasi temperiem statumque indicant, sunt quodam modo tonus princeps, cui carmen ipsum explicationi est. Revocant canentium audientiumque animos ad sententiam primariam, quae carmini subjecta est. Quum enim canendo gaudia et dolores necessario minuantur, opus est excitatione quadam, ne cogitatio ab sententia carminis aberret; quae excitatio repetitionibus efficitur. Sed alia etiam haece repetitiones vim habent et potentatem. Sunt enim quasi gubernacula, quae cursum carminis per affectuum fluctus dirigunt, ne huc

illuc cogitationes vagentur, sed ut circum eundem quasi cardinem versentur.

Haec mea sententia, ephymnia ex animo vehementer vel dolore vel laetitia commoto prodire, etiam eo probatur, quod apud antiquas gentes rarius, frequentissime apud recentes inveniuntur. Constat enim apud omnes viros doctos, veterum ingeniis objectivam, quam dicunt, poësin magis convenisse, recentioribus vero subjectivam (Gefühlspoësie). Neque difficile est ad intelligendum, quibus ex rebus haec diversa poëseos genera prodierint, si veterum vivendi cogitandique rationem cum recentiorum accurate comparaveris. Quo quidem factum est, ut ephymnia a carminibus veterum longe maximam partem sint aliena. Carmina vero ephymniis praedita, ad recentiorum naturam et characterem magis accedunt. Ephymnia enim antiquorum carminum ex hominum popularium usu deprompta poetae doctiores carminibus suis intexuerunt, quo illis pulchritudinem compararent, quam ephymnia recte prudenterque adhibita praestare possunt. Tamen veteres eam varietatem et pulchritudinem nunquam assecuti sunt, quam apud recentiores gentes invenimus. Cujus quidem rei praeter ingenii diversitatem etiam haec caussa esse potest, quod perpauca carmina popularia ex temporum naufragio nobis servata sunt. Ea enim nondum veteres diligentia in colligendis hujuscemodi carminibus usi sunt, quam nostrates in re sane dignissima gravissimaque collocarunt. Itaque plurima ephymnia reperiuntur praeter Aeschylum, cujus singulare quoddam in iis utendis consilium erat, apud Aristophanem comoedum, aliquot poetas lyricos et bucolicos. Exiguus profecto poëtarum numerus eorum est, qui ephymniis usi sunt, si multitudinem poëtarum spectaveris. Constant praeterea antiqua illa ephymnia certis quibusdam exhortationibus et exclamationibus. Aeschylus solus in strophicis ephymniis aliquam habet varietatem, quam haud malo successu Aristophanes imitatus est. Apud Latinos maxime Catullus ad repetitiones videtur inclinare ex Graecorum imitatione, quum alias Romanorum ingenium magis quam Graecorum ab illo carminum genere alienum videatur fuisse. Quae res suis quidem caussis non caret, longius enim Graecis Romani ab molli quadam rerum perceptione aberant. Sunt tamen vetera quae-

dam carmina, Fescenninorum, Arvalium fratrum, triumphalia, quae certam legem stropharum secuta ephymniis non fuisse destituta probabilissimum est. Nam notum illud triumpe triumpe omnino ephymnii naturam indolemque prae se ferre nemo diffitebitur.

Caput secundum.

De variis ephymniorum nominibus.

Jam in iis quae antecedunt ephymniorum appellatione usus sum, quum ceteris mihi videatur praeferenda, quamvis passim apud Grammaticos aliae inveniantur, de quibus nunc erit disserendum.

Ab Latinis repetitionum genus illud intercalarium versuum nomine appellatur. Haec enim habet Servius ad Virg. ecl. VIII. v. 21: „Dicitur autem hic versus intercalaris, quia frequenter post aliquantulos interponitur versus, sicut intercalares dies et menses vocantur, qui interponuntur, ut ratio lunae solisque conveniat.“ Sunt igitur illi versus interpositii, *παρεμβεβλημένοι*. Melius vocabulum ita explicare potuit, ut diceret, versus intercalares esse eos, qui inter strophas pares vel impares repeterentur. Facile enim ex Servii interpretatione aliquis possit credere, versus illos ad praecedentia esse referendos. Saltem parum accurate Servius locutus est.

Praeterea haec appellatio nimis angusta esse videtur, quum integros tantum versus amplectatur, quales apud bucolicos repetiti inveniuntur. Tamen, quod infra videbimus, huc etiam referenda sunt vocabula quaedam et exclamationes, quemadmodum strophae integrae apud Aeschylum.

Locus in hac re gravissimus est apud Schol. Theocr. I. v. 64: *τῆς βουκολικῆς ᾠδῆς ἄρξασθαί με ποιήσατε ὡς ποιητρίαι.*

ἐπικαλεῖται γὰρ αὐτὰς μέλλων ἀείδειν· τοῦτο δὲ λέγεται πρόασμα 2) καὶ ἐπιμελῴδημα καὶ ἐπῳδή· τὸ δὲ ἄρχετε καὶ λήγετε ἐπῳδοῦ τάξιν ἔχει. Alter locus est Theocr. I. v. 84: τὸ δὲ ἄρχετε βωκολικᾶς λέγεται ἐπῳδῆς τάξιν ἔχειν. Duebnerus pro ἐπῳδὴ et ἐπῳδῆς conjecit: ἐπῳδὸς et ἐπῳδοῦ. In his Scholiis Theocriteis haec ephymniorum nomina habemus: πρόασμα, ἐπιμελῴδημα, ἐπῳδή (— δός), de quibus accuratius dicendum est. Prius scholion Ahrens (E. A. p. 29.) perturbatius esse dicit: ,,in prioribus appellationem πρόασμα apparet ad solum vs. 64. pertinere, qui carmini (Theocr. I. 64.) praemissus est; idem ἐπιμελῴδημα vel ἐπῳδὸς dici nequit, nec magis ἐπῳδὴ incantationis sensu, quem Buttmannus in suppl. ad Schneideri lexicon agnosci posse putavit. Itaque vix dubium est, quin haec antiquo scholio in brevius contracto obscuriora evaserint; auctor scholii hoc voluerat, versum intercalarem illo loco πρόασμα dici, in sequentibus vero ἐπιμελῴδημα vel ἐπῳδόν." Haec Ahrens. Appellationem πρόασμα ad versum 64. pertinere satis mihi elucere videtur, quod et vocabuli significatio et versus 64. collocatio docent. Ἐπιμελῴδημα et ἐπῳδὸν eo referri posse vir doctissimus ideo negat, quod versum intercalarem nisi in fine stropharum poni posse arbitratur, et obstare videatur vis et potentia ἐπιμελῳδήματος et ἐπῳδοῦ, quae verba non nisi ad eos intercalares referri possint, qui suam quisque stropham sequantur. Recte quidem primo obtutu Ahrens disputasse videri potest. Quid vero, si his vocabulis aliam significationem vindicare possumus? Nam praepositionis ἐπὶ vis duplex est. Valet enim idem quod latinum a p u d et p o s t. Qui intercalares nisi post strophas non poni opinantur, posteriorem significationem in vocabulis ἐπιμελῴδημα et ἐπῳδὸς inesse statuunt. Sed nihil impedit, quominus priorem, ubi de intercalaribus agitur, his verbis tribuamus, praesertim, quum multa vocabula inveniantur, in quibus hanc vim praepositio ἐπὶ evidenter habet, ut ἐπίφρων, in quo sana mens est, ἔπασμα, carmen, quod inter incantationes dicebatur, ut Theocr. II., Virg. ecl. VIII. Hor. Ep. V. cf. Prop. IV. 5. 23. ἐπίστιος (Ζεύς), Herod. I. 35, Jupiter, cujus effigies juxta focum ponebatur, ἐπίπονος, ἐπιπόντιος et alia quam plurima, in quibus maxime ad sententiam meam probandam facit ἔπασμα, quod ,,Nach-

lied“ explicari non potest. Carmina enim illa, quae ἐπᾴσματα dicuntur, inter ipsos actus magicos dicebantur, non post peractam incantationem. Nam haec ipsa sine carminibus inefficax erat. Praeterea hoc genus carminum incantandi rationem luculenter demonstrat. Eandem vim habet vocabulum ἐπῳδή = id quod ad aliquem actum canitur, Zugesang, cf. Passovium s. v. 2a). Nec mirum. Iisdem enim ex vocabulis prodierunt, ex ἐπὶ et ᾄδειν, diversa tantum ratione. Ex hac primaria significatione altera prodiit, carmen magicum, cf. Soph. Aj. 579, Aeschyl. Eum. 633, Eurip. Hipp. 478, Phoen. 1260, Xenoph. Mem. 2, 6, 11. Eandem vim vocabulo ἐπῳδὸς tribuere non dubito, quum nullo alio discrimine ab ἐπῳδὴ differat, nisi quod illud adjectivum hoc substantivum est. Et profecto omne illud significat, quo quasi incantamento aliquid lenitur, cf. Plato, Legg. X. 903. b.: ἐπῳδῶν προσδεῖσθαι μυθῶν, Aesch. Ag. 1392: ὃς ἔθυσεν αὑτοῦ παῖδα ἐπῳδῶν ἀημάτων. Tum vero etiam ipsum intantorem significat, cf. Eur. Hipp. 1038, Bacch. 235.

Nulla igitur est caussa, cur cum Duebnero ἐπῳδὴ apud schol. Theocr. in ἐπῳδὸς mutetur; utrumque vocabulum eandem omnino vim habet. Veri simillimum est, ab repetitis in carminibus magicis versibus ad omnes carminum partes, quae post certa longiora vel breviora intervalla repetebantur, voces ἐπῳδὴ et ἐπῳδὸς fuisse translatas. Sine dudio summa vis versibus intercalaribus tribuebatur, ut apud Theocr. II:

Ἴυγξ, ἕλκε τυ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα,

et apud Virg. ecl. VIII:

Ducite ab urbe domum mea carmina ducite Daphnin,

quo factum est, ut hi versus κατ᾽ ἐξοχὴν ἐπῳδαὶ vel ἐπῳδοὶ appellarentur.

Ex omnibus igitur, quae supra Ahrentem disputare vidimus, hoc unum concedi potest, duo scholia in unum confluxisse, quae res tamen nihil veritatis iis adimere poterit, tum appellationem προᾴσμα ad solum versum 64. esse referendam. Restat ut de vocabulo ἐπιμελῳδημα dicamus. Hoc non re sed forma sola et origine ab ἐπῳδὴ et ἐπῳδὸς differt; nihil aliud est, nisi Beigesang, Nebengesang, cantus strophas comitans, qui ipse nihil cum strophis habet commune.

Itaque inter has schol. Theocr. appellationes nullum discrimen ex ipsa re petitum statuere possumus, nisi forte pisces in aëre quaerere velimus.

Hephaestio p. 69. (Pauw) haec habet: (I.) *ἀνομοιόστροφα δέ ἐστιν ὅσα πάντως διαιρεῖται ἢ κατὰ πρόσωπον ἀμοιβαῖον, ἢ χοροῦ πρὸς ὑποκριτὴν ἀπόκρισιν, ἢ κατὰ ἐφύμνιον, ἢ κατὰ ἐπῳδὸν ἢ ἄλλο τι ἐπιφώνημα;* p. 70: (II.) *ἔστι δέ τινα ἐν τοῖς ποιήμασι καὶ τὰ καλούμενα ἐφύμνια, ἅπερ ταύτης τῆς προσηγορίας τετύχηκε, ἐπειδὴ καὶ ἐφύμνιόν τι εἰώθασιν ἐπάγειν οἱ ποιηταὶ ταῖς στροφαῖς· οἷά ἐστι καὶ τὰ τοιαῦτα, Ἰήιε παιὰν, καὶ, ὦ διθύραμβε. ὅταν δὲ ἐφύμνιον μὴ μετὰ στροφὴν, ἀλλὰ μετὰ στίχον κέηται, παραλαμβανόμενον ἄλλῳ στίχῳ, μεσύμνιον καλεῖται τὸ ποίημα, οἷόν ἐστι τὸ παρὰ Σαπφοῖ·*

Ὑψοῖ δὴ τὸ μέλαθρον — Ὑμήναον
ἀείρατε τέκτονες ἄνδρες — Ὑμήναον
γάμβρος ἔρχεται ἶσος Ἄρεϊ.

Cum his locis conjungendus est tertius ejusdem Hephaestionis ibid: (III.)

ἔστι δέ τινα καὶ τὰ καλούμενα ἐπιφθεγματικὰ, ἃ διαφέρει ταύτῃ τῶν ἐφυμνίων, ὅτι τὰ μὲν ἐφύμνια καὶ πρὸς νοῦν συντελεῖ, τὰ δὲ ἐπιφθεγματικὰ καὶ ἐκ περιττοῦ, ὡς τὸ λεγόμενον, τῇ στροφῇ προσκεῖται, οἷον καὶ τὸ Βακχυλίδου·

ἢ καλὸς Θεόκριτος· οὐ μόνος ἀνθρώπων ὁρᾷς, καὶ πάλιν παρὰ τῷ αὐτῷ Βακχυλίδῃ·

σὺ δ᾽ ἐν χιτῶνι μόνῳ παρὰ τὴν φίλην γυναῖκα φεύγεις.

Cf. Bergk, P. L. ed. II. p. 688. 970. 971.

Ex his Hephaestionis locis plures appellationes discimus. In priore (I) loco de iis carminibus disputat, quae imparibus strophis constent, exponitque, qua ubique ratione efficiantur. Verba *κατὰ πρόσωπον ἀμοιβαῖον ἢ χοροῦ πρὸς ὑποκριτὴν ἀπόκρισιν* referenda sunt ad carmina bucolica et chorica *ἀνομοιόστροφα*; quae sequuntur: *ἢ κατὰ ἐφύμνιον ἢ κατὰ ἐπῳδὸν ἢ ἄλλο τι ἐπιφώνημα* ad carmina lyrica refero, in quorum numero etiam Theocr. I. 64 sqq. II. Bion. Epit. Ad. et Moschi Epit. B. habeo, etc. quum Theocr. I. 64. saepius *ᾠδὴ* inscribatur. Haec vero carmina intercalaribus in strophas dividuntur. Ephymnia igitur idem valent atque intercalares. Nomen generale secundum Hephaestionem est *ἐπιφάνημα*, quod *ἐφύμνιον* et *ἐπῳδὸν* amplectitur. Ceterum haec duo verba idem

significare videntur, sed ita tamen, ut ἐπιφώνημα exclamationes potissimum breviusculas spectet ut ἰὼ ἰώ, ἒ ἒ ἒ ἔ, ἐφύμνιον vero integra verba et versiculos. Etiam promiscue usurpantur. Nam in secundo loco Hephaestio „ἰήιε παιάν“ et „ἰὼ διθύραμβε“ ephymniis adnumerat.

Tertius denique locus ἐπιφθεγματικὰ suppeditat, quae ita ex Hephaestionis sententia ab ephymniis differunt, ut haec καὶ πρὸς νοῦν συντελεῖν dicantur, illa vero ἐκ τοῦ περιττοῦ strophae adjiciantur. Quid sibi Hephaestio hac distinctione voluerit non facile est dictu. Exempla enim, quae ex Bacchylide affert, rem non expediunt, quum carmina, ex quibus deprompta sunt, ad nostra usque tempora non pervenerint. Haec tamen grammatici videtur sententia esse, ephymnia cogitationis vinculo quodam cum stropha, cui adjecta sunt, cohaerere, epiphthegmatica vero prorsus ab sententiarum nexu esse avulsa. Ejusmodi ἐπιφθεγματικὰ etiam apud recentes populos inveniuntur. Video enim apud Wolffium (Volkslieder p. 23: Ritornelle) carmen quoddam Romanum, cujus epiphthegmatica haec sunt: Die Liebe | die Lieb' ist trübe, | sprach der Salat bedenklich zu der Rübe; quod epiphthegma revera ἐκ τοῦ περιττοῦ ταῖς στροφαῖς προσκεῖται. Si enim deesset, nihil carmini adimeretur. Eandem rationem epiphthegmaticis Bacchylidis fuisse, ex Hephaestionis verbis satis perspicuum est. Quod Ahrens (E. A. p. 31.) dicit, „eum versiculos nihil nisi acclamationes complexos ephymnia dixisse, versus plenioris sententiae ἐπιφθεγματικὰ“ minime ex grammatici verbis demonstrari potest. Nihil enim aliud dicit Hephaestio, nisi Bacchylidis versus ἐκ τοῦ περιττοῦ strophis adjectos esse. Si ita locum explicamus nullam omnino difficultatem habere videtur. Ahrens igitur in eo peccavit, quod versuum illorum, quos Hephaestio attulit, sententias tantummodo spectavit, caussae vero, cur grammaticus eos apposuit, nullam rationem habuit.

Necesse non est ut omnes adscribam locos, ubi ἐπῳδὸς vel ἐφύμνιον versiculos quosdam acclamationes continentes significant, quum Ahrens (E. A. p. 31.) eos collegerit.

Restat ut dicamus de vocabulo μεσόφθεγμα, quo scholiasta ad Aesch. Eum. 326 strophas repetitas appellat. Haec appellatio mira videri non potest (Ahrens, E. A. p. 32.) si

cum mesymniis mesophthegmata comparare velis. Quemadmodum enim mesymnia post singulos versus repetuntur (cf. Heph. l. c.), ita mesophthegmata, quae pleniores sententias continent, singulis strophis interponuntur, quod ex loco Eumenidum elucet.

Sed alia hoc loco quaestio tractanda est. Illud enim minime manifestum est, utrum locis scholiastarum et grammaticorum appellationes, de quibus adhuc disputavimus, eos versus vel vocabula vel exclamationes significent, quae eodem in carmine saepius repetuntur, an ea, quae extra systemata strophica collocata vel semel inveniuntur. Et profecto, Hephaestionis verba totam rem in medio relinquunt. Nihil enim de repetitione dicit. Repetitos vero versiculos ephymnia appellari Scholl. ad Aesch. Sept. c. Theb. 954. testantur. Jam ephymniorum nomine eos omnes versus, versiculosque comprehendimus, qui in eodem carmine aliquoties repetuntur, omnesque acclamationes, interjectiones, quae extra strophica systemata collocatae post intervalla quaedam redeunt [2b]). Itaque ex ephymniorum numero eximendae sunt epiphthegmatica, vocesque breves vel interjectiones, quae saepius strophicis carminibus praemittuntur, vel postponuntur, tamen non repetuntur, quas quidem Hephaestio inter ephymnia habuisse veri est simillimum [3]).

De collocatione ephymniorum haec observanda sunt:

1) ephymnia, quae nullo verborum vinculo cum stropha cohaerent, ut bucolica, Catull. c. 62, Aeschylea etc.

2) quae partem stropharum constituunt, ut Cat. c. 61:

io Hymen Hymenaee io,
io Hymen Hymenae.

3) quae in carminibus astrophis inveniuntur ut Cat. c. 29. 42. 52. 57. Ephymnia extra strophas collocata plerumque nullo vinculo cum strophis cohaerent; ea tamen quae partem stropharum constituunt, vel carminibus astrophis addita sunt, rarius illo vinculo carent.

Caput tertium.

De ephymniis lyricorum.

Summa ephymniorum varietas in carminibus lyricis invenitur. Quum enim illud genus carminum circa diversissima argumenta versetur, pro sententiarum diversitate diversa ephymnia carminibus inseri possunt. Videntur autem maxime in epithalamiis, paeanibus, dithyrambis, epicediis aliisque id genus carminibus adhibita fuisse. Reperiuntur enim acclamationes quaedam, quae ab grammaticis ephymnia vocantur, ut *Ὑμὴν, Ὑμέναι᾽ ὦ, ἰὼ Βάκχε, ἰὼ Διθύραμβε, ἰὴ ἴε Παιάν, αἴλινον αἴλινον, οὖλον οὖλον*, etc. Ephymniis usi sunt, inter Gnaecos potissimum Archilochus, Sappho, Aeschylus, Aristophanes, Latinorum Val. Catullus, Ovidius, auct. Pervigilii Veneris, alii.

I. De Archilochi fragm. 118. (Bergk. P. L. ed. II.).

Hoc fragmentum elegans a Th. Bergkio secundum schol. Pind. §. 3. ita scribitur:

Τήνελλα.
Καλλίνικε χαῖρ᾽ ἄναξ Ἡράκλεες,
αὐτός τε καὶ Ἰόλαος αἰχμητὰ δύο.
Τήνελλα.
Καλλίνικε χαῖρ᾽ ἄναξ Ἡράκλεες.

Originem hujus carminis schol. Pind. §. 2. ita refert: *Ὁ Ἀρχίλοχος . . . . ἐλθὼν εἰς Ὀλυμπίαν, θελήσας ὕμνον ἀναβαλέσθαι*

εἰς Ἡρακλέα ἐν τῇ Ὀλυμπίᾳ, ἀπορήσας κιθαρῳδοῦ διά τινος λέξεως μιμήσασθαι τὸν ῥυθμὸν καὶ τὸν ἦχον τῆς κιθάρας ἐπεχείρησε· συντάξας οὖν τὸ κομμάτιον τήνελλα οὕτω καὶ τὰ ἑξῆς ἀνεβάλλετο, καὶ αὐτὸς μὲν τὸν ἦχον τῆς κιθάρας ὑποκρινόμενος ἔλεγεν ἐν μέσῳ τῷ χορῷ τὸ τήνελλα, ὁ δὲ χορὸς τὰ ἐπίλοιπα, οἷον· καλλίνικε κτλ. Respicit hoc Archilochi carmen Pind. Ol. IX. v. 1:

Τὸ μὲν Ἀρχιλόχου μέλος
φωνᾶεν Ὀλυμπίᾳ καλλίνικος ὁ τριπλόος κεχλαδώς.

Grammatici in explicandis his Pindari verbis non consentiunt. Schol. Pind. §. 6: τὸ δὲ τριπλόος, ὅτι τρὶς ἐπεκελάδουν τὸ Καλλίνικε· οὐ καθόλου δὲ τρὶς, ἀλλ' ὅτι τριπλῆν ἔχει τὴν στροφὴν καὶ πάλιν ἀναλαμβάνεται. Eratosthenes juxta idem scholium Archilochi carmen dixit τριπλόον εἶναι οὐ διὰ τὸ ἐκ τριῶν στροφῶν συγκεῖσθαι, ἀλλὰ διὰ τὸ τρὶς ἐφυμνιάζεσθαι τὸ Καλλίνικε. Jam videre licet, quid ex his scholiis erui possit. Haec autem evidenter ex scholiis, quae Bergkius attulit, sequuntur:

1) Carmen illud ab Archilocho in Olympia factum esse. cf. Schol. Pind. §§. 2. 6. supra.

2) Deficiente tibicine ipsum voce modulatum esse τὸ τήνελλα, chorum vero reliqua cecinisse; ibid. §. 2, schol. Ar. Avv. 1764.

3) et τὸ τήνελλα et τὸ Καλλίνικε ter esse repetitum, schol. Pind. §. 2. §. 6.

4) verbis τήνελλα vel τήνελλα καλλίνικε victoribus esse applausum, schol. Pind. §. 2: ἐκ τούτου τολοιπὸν οἱ ἀποροῦντες κιθαρῳδῶν τούτῳ τῷ κόμματι ἐχρῶντο. §. 6. περὶ δὲ τοῦ Τήνελλα Ἐρατοσθένης φησίν, ὅτι, ὅτι ὁ αὐλητὴς ἢ ὁ κιθαριστὴς μὴ παρῆν, ὁ ἔξαρχος αὐτὸ μεταλαβὼν ἔλεγεν ἔξω τοῦ μέλους, ὁ δὲ τῶν κωμαστῶν χορὸς τὸ καλλίνικε. Transiit igitur Archilochi inventum in usum applaudentium, quod etiam testantur verba Pindari Ol. IX. 1. supra allata et Schol. Pind. §. 3., Aristoph. Acharn. 1227 (Bergk): τήνελλα καλλίνικος, item 1228, 1233, solum τήνελλα v. 1230. Eqq. 1254: ὦ χαῖρε καλλίνικε, Avv. 1764: τήνελλα καλλίνικος.

Scholiis quam maxime satisfieri puto si totum carmen ita scribitur:

Τήνελλα.
καλλίνικε χαῖρ' ἄναξ Ἡράκλεες.
τήνελλα.
καλλίνικε χαῖρ' ἄναξ Ἡρακλεες
αὐτός τε καὶ Ἰόλαος αἰχμητὰ δύο.
τήνελλα.
καλλίνικε χαῖρ' ἄναξ Ἡράκλεες.
(τήνελλα).

Incipit enim ab voce *τήνελλα*, Schol. Pind. §. 3: *τὸ δὲ ὅλον οὕτω· τήνελλα κτλ.* Neque obstat quod in fine §. 6. dicitur: *ἡ δὲ ἀρχὴ τοῦ μέλους ἐστίν· ὦ καλλίνικε. τὸ ὦ* enim hoc solo loco invenitur, et *τὸ τήνελλα ἔξω τοῦ μέλους* est, itaque *τὸ μέλος* ab *τήνελλα* initium non facit sed ab *καλλίνικε.* Est deinde carmen tristropham: Schol. P. §. 6: *τὸ μὲν Ἀρχιλόχου μέλος ἦν τρίστροφον.* Habet etiam ter *τὸ καλλίνικε* ut *τρὶς ἐφυμνιασμένον εἶναι* dici possit, cf. Schol. P. §. 6. Idem dicendum est de *τήνελλα*, ibid.: *τὸ τήνελλα τρίτον αὐτὸ ἐπιφωνοῦντες.* Denique si adjicias in fine *τήνελλα* totum carmen ad initium revertitur, ibid.: *ὅτι τριπλῆν ἔχει τὴν στροφὴν καὶ πάλιν ἀναλαμβάνεται.* Ita fere etiam Bergkius vir felici divinandi ingenio praeditus carmen constituendum esse censuit, praeterquam quod initium non a *τήνελλα*, sed ab *ὦ καλλίνικε* fecit, quum sine dubio verbis schol. falleretur, quae quomodo intelligenda sint, supra exposuimus.

II. De Sapphus fragm. 91. (Bergk).

Hoc fragmentum ex carmine epithalamio vel nuptiali ab Hephaestione pag. 70. (Pauw) et Demetrio de Eloc. CLXVIII. nobis servatum est. Bergkius ita scribit:

Ἴψοι δὴ τὸ μέλαθρον
Ὑμήναον
ἀέῤῥετε τέκτονες ἄνδρες·
Ὑμήναον.
γάμβρος ἔρχεται ἶσος Ἄρηϊ
(Ὑμήναον)
ἄνδρος μεγάλω πόλυ μείζων·
(Ὑμήναον).

Contra hanc Bergkii carminis dispositionem quaedam monenda sunt. Fecit enim vir praestantissimus parum recte, quod post versum penultimum et ultimum *μεσύμνιον Ὑμήναον* excidisse putavit. Non dubito, quin Hephaestio adscripsisset. Carmen igitur ita scribendum erat:

Ἴψοι δὴ τὸ μέλαθρον
Ὑμήναον
ἀέῤῥετε τέκτονες ἄνδρες
Ὑμήναον·
γάμβρος ἐσέρχεται ἶσος Ἄρη
ἀνδρὸς μεγάλω πόλυ μείζων.

Mesymnium *ὑμήναον* Ahrens (E. A. p. 38.) ita interpretatur, ut sit supplendum *ᾄδετε*. Sed nimis duram esse hanc interpretationem cuique elucet. Multo sane facilius *ἀέρρετε* abesse posset. Tum si *ᾄδετε* suppleas, duo deinceps imperativi: *ὑμήναον ᾄδετε, ἀέρρετε* sequerentur, quorum posterior ad *μέλαθρον* referendus verbis *ὑμήναον ᾄδετε* ab illo divelleretur. Est autem *ὑμήναος* adjectivum ab *Ὑμὴν*, et significat id, quod ad Hymenem sive nuptias spectat; etiam nuptiarum vel matrimonii illud adj. neutr. pl. notionem habet. Non enim dubito, quin Soph. Ant. 812:

οὐθ᾽ ὑμεναίων
ἔγκληρον,

sit gen. neut. ab: *τὰ ὑμέναια*; non esse cantum epithalamium, quae sequuntur:

οὔτ᾽ ἐπινύμφειός πώ μέ τις ὕμνος
ὕμνησεν,

evidenter demonstrant; esse hoc loco neutr. plur. et graecae linguae indoles postulat, neque contrarium loco Soph. O. R. 422: *ὅταν καταίσθῃ τὸν ὑμέναιον* contendi potest, hic enim de cantu nuptiali bene intelligitur *). Praeterea verbum *μέλαθρον* adjectivum videtur postulare. Si carmen latine redditur, haec mea explicatio optime apparebit:

Alte jam thalamum viri
nuptialem

---

*) Schneidewinus Antig. v. 812. *ὑμεναίων* genitivum plur. masc. statuit.

Exstruite artifici manu
nuptialem:
Sponsus adest similis Marti,
Magno major viro ille [4]).

Carmen cum mesymnio est etiam apud Talvj, Volksl. der Serben, p. 53: Liebte von Klein an ein Mädchen, lado, lado, etc.

III. De carminibus quibusdam popularibus.

Paucas carminum popularium reliquias ad nos pervenisse vehementer dolendum est, quum in hoc carminum genere ephymniorum usus frequentissimus esset, quod vel ex reliquis frustulis intelligitur. Exstant enim carmina nonnulla breviuscula, quae ephymniorum frequentiam satis demonstrant. Prius est ap. Bergk. P. L. p. 1028, in Dionysum:

Ἐλθεῖν, ἥρω Διόνυσε,
Ἀλείων ἐς ναὸν
ἁγνὸν σὺν Χαρίτεσσιν,
ἐς ναὸν
τῷ βοέῳ ποδὶ θύων.
ἄξιε ταῦρε,
ἄξιε ταῦρε.

Quominus carmen fragmentum esse putemus Plut. verba in Quaest. Gr. 36, 7. impediunt: *ἔχει οὕτως ὁ ὕμνος.* Fortasse eadem stropha saepius canebatur. Totum carmen ita scribere malim:

Ἐλθεῖν, ἥρω Διόνυσε,
Ἀλείων
ἐς ναὸν
ἁγνὸν σὺν Χαρίτεσσιν,
Ἀλείων
ἐς ναὸν
τῷ βοέῳ ποδὶ θύων.
ἄξιε ταῦρε,
ἄξιε ταῦρε.

Nam alterum illud *ἐς ναὸν* mesymnii loco esse, totius carminis ratio prodit; respondet enim priori *ἐς ναόν.* Itaque ab verbo *Ἀλείων* separatum constitui. Deinde *Ἀλείων* ante alte-

rum *ἐς ναὸν* repetito et major huic verbo vis comparatur et responsio perfectior existit. Verba: *ἄξιε ταῦρε* a Plutarcho l. c. *δὶς ἐπᾴδεσθαι* dicuntur.

Versiculus etiam apud Bergk. p. 1030:

ἔξεχ᾽ ὦ φίλ᾽ Ἥλιε

saepius in carminibus ad solem, quum nubibus obscuraretur, (cf. Pollux IX. 123), cantatis repetitus esse videtur, quum oda in Apollinem secundum Athen. XIV. 619. B. ab eo nomen *φιληλιὰς* acceperit.

Quae vero ratio ephymnii *οὖλον ἴουλον* fuerit haud facile est dictu, quum hujusmodi carmen nullum ad nostra tempora pervenerit. Diversa horum carminum nomina apud Athen. XIV. 618. D. inveniuntur: *οὖλοι, ἴουλοι, δημήτρουλοι, καλλίουλοι.* Videntur carmina pulcherrima fuisse, quum versus apud Athen. l. c.:

πλεῖστον οὖλον ἵει, ἴουλον ἵει,

ab Eustath. 1162, 42. *ἐπιφώνημα ἐμμελὲς,* plenum dulcedinis appelletur.

In iis denique cantilenis, quas homines laudi vel ludibrio insignium virorum canebant, ephymnia saepissime locum habuisse videntur. Hujusmodi carminum duorum reliquiae nobis supersunt; Plut. vit. Lys. 18, (p. 443):

τὸν Ἑλλάδος ἀγαθέας
στραταγὸν ἀπ᾽ εὐρυχόρου
Σπάρτας ὑμνήσομεν, ὢ
ἰὴ Παιάν.

alterius apud eundem Plut. vit. Flam. 16, (p. 378):

πίστιν δὲ Ῥωμαίων σέβομεν
τὰν μεγαλευκτοτάταν ὅρκοις φυλάσσειν.
μέλπετε κοῦραι
Ζῆνα μέγαν Ῥώμαν τε
Τίτον θ᾽ ἅμα Ῥωμαίων τε
πίστιν· ἰήϊε Παιάν·
ὦ Τίτε σῶτερ.

Prius carmen unum ephymnium: *ἰὴ Παιάν,* alterum duplex: *ἰήϊε Παιὰν* et *ὦ Τίτε σῶτερ* habet. Efficiunt autem strophae partem, eodem plane modo ut Cat. 61. Haec ephymnia ex laetioribus cantilenis nobis servata sunt, ad tristes vero illud

pertinet, quod in carminibus de Lino locum habuit. Nullum hujus generis carmen exstat, ephymnium solum apud plures scriptores invenitur. Videtur autem illud hac forma fuisse:

αἴλινε αἴλινε,

vel:

αἴλινον αἴλινον.

Adeo vero frequens hoc genus carminum antiquitus erat, ut ephymnium adjectivi vim acceperit, Eurip. Herc. fur. 348: *αἴλινον ἰαχεῖ;* Hel. 171: *αἴλινα κακά;* Or. 1392: *αἴλινον ἀρχὰν θανάτου βάρβαροι λέγουσι;* Mosch. 3, 1: *αἴλινά μοι στοναχεῖτε,* cf. Preller, Gr. Mythol. I. p. 309. et scriptt. ibi cit. Aesch. Ag. 120, 137, 154.

Singulare quoddam ephymnium habet carmen illud Anacreonteum, Bergk, № 48. p. 828:

ὅτ᾽ ἐγὼ πίω τὸν οἶνον,
τότ᾽ ἐμεῦ ἦτορ ἰανθὲν
. . . . Μούσας
. . . . . ἄρχεται λιγαίνειν.

ὅ ἐγὼ πίω τὸν οἶνον,
ἀπορίπτονται μέριμναι
πολυφρόντιδές τε βουλαὶ
ἐς ἀλικτύπους ἀήτας.

ὅτ᾽ ἐγὼ πίω τὸν οἶνον,
κτλ.

Quinque deinde strophae sequuntur, quae omnes eodem ephymnio, eadem ratione cum sequentibus conjuncto incipiunt. Nullum praeterea ejusmodi ephymnium apud antiquos scriptores invenitur, quam ob rem hoc carmen haud ita antiquum esse judico. S. Schmitz (Adnott. ad Bionis et Moschi carmina p. 6.) hoc ephymnio usus est ad refellendam Ahrentis de collocatione ephymniorum bucolicorum sententiam. Sed injuria, quod suo loco demonstrabimus [5]). Ceterum cf. Talvj, I. p. 17: „Mädchensorge," ubi simile ephymnium invenitur.

Iis tamen viris haud adversabor, qui hoc genus versuum ex ephymniorum numero velint eximere. Habent sane, quae opponere possint. Nihil enim aliud hoc carmine observatum

est, nisi ut ex eodem enunciato praecedente diversae deducantur sententiae. Hoc quoque facillime quisque videt, versum illum quam maxime ab omnibus, quae apud antiquos scriptores ephymnia exstant, discrepare.

IV. De Aeschyli ephymniis.

Plurima vero omniumque generum ephymnia apud scenicos Graecorum poetas inveniuntur. Hoc tamen animadvertendum est, nonnullas breves esse exclamationes extra stropharum rationem positas, quae ex Hephaestionis sententia inter ephymnia possis habere, sed parum recte. Huc referenda sunt Aesch. Pers. 679. (Blomf.): *αἶ, αἶ, αἶ, αἶ,* 906: *ἰώ,* 966: *ἰώ μοι;* Sept. 1056: *φεῦ φεῦ;* Choeph.: 856, *ἒ ἔ, ὀτοτοτοῖ;* 857: *ἔα ἔα μάλα;* 868: *ἰού, ἰού.* Quae exclamationes *ἀναφωνήματα* recte dicuntur.

Dramaticorum Graecorum Aeschylus tragicus, comoedus Aristophanes potissimum ephymniis, qualia nos definivimus, usi sunt, ita quidem, ut in stropharum initio, in fine, intra systemata, versus versiculosque, exclamationes et integras sententias repetant.

Adeo autem Aeschylus ephymnia adamaverat, ut Euripides apud Arist. Ran. ei irridere potuerit. Sed septem quae nobis restant tragoediae haud ita multa habent. Quam ob rem jure suspicari possumus, excidesse pluribus locis ephymnia, quae suspicio probatur ratione, qua librarii in describendis fabulis utebantur, quammaxime. Quo enim laborem sibi minuerent, uno ephymnio integro descripto, alterum plerumque signis certis notasse veri simillimum est. Postea vero, quum haec signa ignorari coepissent, paulatim omissa sunt, simulque ephymnia. Unde quantum damni poetis factum sit, facile est ad intelligendum. Perturbata inde vehementer stropharum versuumque ratio, quumque editores non omnia sibi accurate respondere animadverterent, multos locos lacunosos judicarunt, qui ephymniis restitutis optime sese habituri fuissent. Itaque nihil impedit, quominus ephymnia reponamus, dummodo versuum stropharumque rationem restituere possimus.

Plura licet suspicere de caussis, quibus Aeschylus commotus tam frequenter ephymniis usus sit [6]; caussa autem principalis in gravitate poeseos Aeschyli posita est, quum negari non possit, hujuscemodi repetitiones *σεμνότητι* Aeschyleae valde convenire, ut quae orationi grande quoddam sublimeque tribuant, animumque eadem saepius inculcando magis commoveant et mentem ad gravissima quaeque convertant.

Quaecunque tandem caussa ephymniis utendi fuit, adeo frequentia erant, ut Euripides in Arist. Ranis v. 1273. 74. 1286. Invern. dicere posset:

> *καὶ μὴν ἔχω γ', ὡς αὐτὸν ἀποδείξω κακὸν*
> *μελοποιὸν ὄντα καὶ ποιοῦντα ταὔτ' ἀεί.*
> *εἰς ἓν γὰρ αὐτοῦ πάντα τὰ μέλη ξυντεμῶ.*

Quod quamvis haud dubie *καθ' ὑπερβολὴν* dictum sit, tamen ephymnia frequentissima erant, eoque frequentiora apparebant, quum omnes Aeschyli fabulae integrae eo tempore exstarent. *Τὰ μέλη* autem hoc Aristophanis loco nihil aliud sunt, nisi fabularum carmina chorica, quae repetitionibus paene dixerim abundant.

Duo autem ephymniorum Aeschyleorum genera distingui possunt, quorum alterum exclamationibus voculisque constat, alterum sententias integras absolutasque continet. Prioris generis haec potissimum exempla apud Aeschylum inveniuntur:

Prom. (Blomf.) v. 599: ἓ ἕ = v. 620: ἓ ἕ.
Pers. *στρ.* v. 556. 557:

> *Ξέρξης μὲν ἄγαγεν,*
> *ποποῖ,*
> *Ξέρξης δ' ἀπώλεσεν,*
> *τοτοῖ.*

= *ἀντ.* v. 566. 567:

> *νᾶες μὲν ἄγαγον,*
> *ποποῖ,*
> *νᾶες δ' ἀπώλεσαν,*
> *τοτοῖ.*

Ibid. *στρ.* v. 574: *φεῦ*, 575: *ἠέ*, 576: *ὀά*, 579: *ὀά:*

τοὶ δ᾽ ἄρα πρωτόμοροι δὴ
φεῦ,
λειφθέντες πρὸς ἀνάγκαν,
ἠ ἐ,
ἀκτὰς ἀμφὶ Κυχρείας,
ὀ ἀ,
ἔρρανται· στένε καὶ δακνά-
ζου, βαρὺ δ᾽ ἀμβόασον
οὐράνι᾽ ἄχη,
ὀ ἀ,
τεῖνε δὲ δυσβάϋκτον βοὰν, τὰν
τάλαιναν αὐδάν.

= *ἀντ.* v. 582: *φεῦ*, 583: *ἠέ*, 584: *ὀά*, 587: *ὀά:*

γναπτόμενοι δ᾽ ἀλὶ δεινὰ,
φεῦ
σκύλλονται πρὸς ἀναύδων,
ἠ ἐ,
παίδων τᾶς ἀμιάντου,
ὀ ἀ.
πενθεῖ δ᾽ ἄνδρα δόμος στερη-
θεὶς, τοκέες δ᾽ ἄπαιδες
δαιμόνι᾽ ἄχη,
ὀ ἀ,
δυρόμενοι γέροντες, τὸ πᾶν δὴ
κλύουσιν ἄλγος.

In exordio strophae et antistrophae: *ὀτοτοτοῖ*, ibid. v. 273:

ὀτοτοτοῖ!
μάταν τὰ πολλὰ κτλ.

v. 279: *ὀτοτοτοῖ!*
φίλων ἁλίδονα κτλ.

Idem ephymnium in media stropha et antistropha invenitur repetitum ibid. v. *στρ.* 1044:

ὀτοτοτοῖ
ὀτοτοτοῖ

= v. *ἀντ.* 1052.
ibid. v. 1056, *ἄνι᾽, ἄνι᾽, ἄνια* = v. 1062.

Non tamen ubique hae exclamationes iisdem voculis constant: ibid. v. 1068. *οἶ, οἶ, οἶ, οἴ* = 1072: *ἰὼ δὴ ναὶ ναί.*

Inter stropham et epiphthegmatica Supp. v. 898 et 889:

στρ. . . . .
ὄναρ, ὄναρ μέλαν.
ὀτοτοτοῖ.
μᾶ Γᾶ μᾶ Γᾶ βοᾶν κτλ.

ἀντ. . . . .
ἐνδακοσάχ.
ὀτοτοτοῖ.
μᾶ Γᾶ μᾶ Γᾶ βοᾶν κτλ.

Aliud ephymnium est *ἰώ*. Agam. 1069, *στρ.*:
ἰὼ ἰὼ
πόποι, τί ποτε μήδεται κτλ.
= *ἀντ.* v. 1076:
ἰὼ ἰὼ
τάλαινα τόδε γὰρ τελεῖς.
ibid. v. 1430. *στρ.*:
ἰὼ ἰὼ
παράνους Ἑλένα.
= *ἀντ.* post. v. 1450: (ubi restituend.)
ἰὼ ἰὼ
παράνους Ἑλένα.
Ibid. *στρ.* v. 1466:
ἰὼ ἰὼ
βασιλεῦ βασιλεῦ
= *ἀντ.* v. 1491:
ἰὼ ἰὼ
βασιλεῦ βασιλεῦ.
Pers. v. 1070: *ἰὼ ἰὼ* = v. 1074: *ἰὼ ἰώ.*

Aliquantum difficultatis praebet locus Sept. v. 78—165. Ephymnium *ἒ ἒ ἒ ἔ* primo invenitur v. 139, tum v. 145.

v. 138: *Ἄρτεμι φίλα.*
ἒ ἒ ἒ ἔ.

v. 145: *ποῖ δ' ἔτι τέλος ἐπάγει θεός;*
ἒ ἒ ἒ ἔ.

Videtur his duobus locis indicari, ephymnium illud a v. 139. saepius repetitum esse. Ac natura quidem loci hanc opinionem vehementer confirmat, quum terrores, quibus virgines percutiuntur, tumultus curruum, rotarum strepitus, lapidum in muros jactus sonitusque armorum narrentur. Natura autem ita fert, ut animus prius terrorem exclamatione exprimat, tum unde perceperit, indicet. Itaque illud ἒ ἒ ἒ ἒ non ad praecedentia, sed ad subsequentia referendum est. Novus autem terror novam exclamationem movet. Quare quum quinque caussae terroris afferantur, cuique exclamationem praemittendam esse censeo. Locum igitur ita scribo:

ἒ ἒ ἒ ἔ!
ὄτοβον ἁρμάτων
ἀμφὶ πόλιν κλύω
ὦ πότνι᾽ Ἥρα.
ἒ ἒ ἒ ἔ!
ἔλακον ἀξόνων
βριθομένων χνόαι,
ἒ ἒ ἒ ἔ!
δορυτίνακτος αἰ-
θὴρ ἐπιμαίνεται.
(Strepitus desinit).
τί πόλις ἄμμι πάσχει; τί γενήσεται;
ποῖ δὲ τί τέλος ἐπάξει θεός;
(Novus terror).
ἒ ἒ ἒ ἔ!
ἀκροβόλων δ᾽ ἐπάλ-
ξων λιθὰς ἔρχεται,
ὦ φίλ᾽ Ἄπολλον.
ἒ ἒ ἒ ἔ!
κόναβος ἐν πύλαις
χαλκοδέτων σακέων·

Qui sequuntur versus:

καὶ Διόθεν πολεμόκραντον τέλος ἁγνὸν
ἔντε μάχαις μάκαιρ᾽ ἄνασσα πρὸ πόλεως
ἑπτάπυλον ἕδος ἐπιρρύου,

loco genuino positos esse non puto. Primitus post versum 122 locum habuisse veri simile est. Verba „*καὶ Διόθεν πο-*

λεμόκραντον τέλος ἁγνὸν" fortasse de Palladio Thebarum intelligi possunt [7]); quamobrem locum hoc modo scripserim:

> σύτ' ὦ Διογενὲς φιλόμαχον κράτος
> καὶ Διόθεν πολεμόκραντον τέλος ἁγνὸν
> σύ τε μάκαιρ' ἄνασσ' Ὄγκα πρὸ πόλεως
> ἑπτάπυλον ἕδος ἐπιρρύου,
> ῥυσίπολις γενοῦ Παλλάς, κτλ.

Cum ἐπιρρύου — ῥυσίπολις γενοῦ conferatur v. 133: Λύκει' ἄναξ — λύκειος γενοῦ. Palladium vero bene πολεμόκραντον dici potest; quum enim Diomedes Ulysse adjuvante ejusmodi simulacrum ex Troja abstulisset, bellum illud decennale finitum est. Quemadmodum igitur illud Palladium bello finem imposuerit, ita suo quoque virgines Palladio a bello liberari defendique optant. Onca vero ut urbem tuendo revera Pallas ῥυσίπολις fiat, rogatur.

Idem ephymnium exstat Prom. v. 599. 620. eodem strophae et antistrophae loco. Praeterea in Supp. fabula ἰὴ ἰή et ἰὼ ἰώ, αἰαῖ αἰαῖ et οἰοῖ οἰοῖ sibi respondentia inveniuntur.

Proxime ad haec ephymnia hucusque tractata accedunt ea, quae exclamationibus vocabulisque notionem aliquam continentibus efficiuntur. Etiam hujus generis satis multa apud Aeschylum obvia sunt.

Ag. στρ. v. 1040. = ἀντ. v. 1044:

> Ἄπολλον, Ἄπολλον!

ibid. στρ. v. 1047. = ἀντ. v. 1052:

> Ἄπολλον, Ἄπολλον
> ἀγυιᾶτ', ἀπόλλων ἐμός.

Plurimi ejusmodi versus in duabus ultimis Pers. strophis reperiuntur:

στρ. ΞΕ. καὶ στέρν' ἄρασσε κἀπιβόα τὸ Μύσιον.
ΧΟ. ἄνι' ἄνι' ἄνια. (a)
ΞΕ. καί μοι γενείου πέρθε λευκήρη τρίχα.
ΧΟ. ἄπριγδ' ἄπριγδα, μάλα γόεδνα. (b)
ΞΕ. αὔτει δ' ὀξύ.
ΧΟ. καὶ τάδ' ἔρξω.

ἀντ. ΞΕ. πέπλον δ' ἔρεικε κολπίαν ἀκμῇ χερῶν
ΧΟ. ἄνι' ἄνι' ἄνια. (a)
ΞΕ. καὶ ψάλλ' ἔθειραν καὶ κατοικτίσαι στρατόν.

ΧΟ. ἄπριγδ᾽ ἄπριγδα μάλα γοεδνά. (b)
ΞΕ. διαίνου δ᾽ ὄσσε.
ΧΟ. τέγγομαί τοι.

Epodus.

v. 1070. = v. 1074:

ἰὼ Πέρσις αἶα δυσβάϋκτος.

In strophis antecedentibus est ephymnium v. 1041. 1049:

βόα νυν ἀντίδουπά μοι; quod initio epodi repetitur.

In fine strophae et antistrophae v. 669. 677:

βάσκε πάτερ ἄκακε Δαρειάν,

et Eum. in fine ultimae str. et ant.:

ὀλολύξατε νῦν ἐπὶ μολπαῖς.

Iisdem locis aliud Aeschylus ephymnium habet, sed tertio in fine epodi est, Ag. 119. 136. 154:

αἴλινον αἴλινον εἰπέ, τὸ δ᾽ εὖ νικάτω [8]).

In epodo cum praecedentibus eodem verborum complexu cohaeret. Paullo longius est ephymnium Supp. 890 sqq. 899 sqq.

μᾶ Γᾶ μᾶ Γᾶ, βοᾶν
φοβερὸν ἀπότρεπε
ὦ βᾶ Γᾶ παῖ Ζεῦ.

Duobus locis versus inveniuntur, qui ex parte tantum sibi respondent, Eum. στρ. v. 1021:

εὐφαμεῖτε δὲ χωρῖται

ἀντ. 1025: εὐφαμεῖτε δὲ πανδαμεί [9]).

Pers. στρ. v. 556 sq.:

Ξέρξης μὲν ἄγαγεν,
Ξέρξης δ᾽ ἀπώλεσεν.

ἀντ. v. 566 sq.:

νᾶες μὲν ἄγαγον,
νᾶες δ᾽ ἀπώλεσαν.

Evidenti ratione probari non potest, versum in Choephororum parodo 59:

τοὺς δ᾽ ἄκραντος ἔχει νύξ

ter inferendum esse, quanquam minime dubito, quin v. 60—67. stropham et antistropham efficiant. Arctissimo enim vinculo hujus partis sententia cum iis, quae praecedunt, cohaeret. In epodo vero, quae incipit ab ἐμοὶ δ᾽ ἀνάγκαν, chorus de tristi vitae conditione queritur. Sed omnes conatus docto-

rum virorum, quibus strophis mederi sunt ausi, parum probabiles putandi sunt.

C. G. Schneider in libello, quem de epiphthegmaticis apud Aeschylum scripsit, p. 7. versum illum ter ponendum censuit. Sed videamus, quae hujus loci sententia sit, quo intelligatur non nisi uno loco esse scribendum. In altera igitur parte antistrophae praecedentis poëta dicit, homines injuste scelerateque agentes ab justitia vel celeriter peti: *ἐν φάει*, ita ut aequales malum esse poenam sceleris commissi intelligant, ut omnibus caussa mali eluceat, vel post tempus longius, quum caussa supplicii jam in mediis tenebris esse videatur, ut ipse homo qui scelus commisit jam se liberum fore a poena spem concipiat; alios autem aeterna circumdari nocte, quorum neque scelus, neque supplicium unquam hominibus innotescat. Duarum quae sequuntur stropharum haec est sententia: sanguinem caede profusum terra illini neque diffluere, *ἄταν* autem *παναρκέτᾳ νόσῳ τὸν αἴτιον* esse affecturam. Antistropha, quae strophae est gradatio cum caede, cujus solius stropha mentionem facit, uxoris stuprum conjungit, „eum vero, qui thalamum alieni viri violarit, piaculum non esse habiturum; omnesque fluvios, etiamsi in unum concurrant locum, caedis maculam exstinguere non posse. Quae per parallelismum dicta esse quisque videt. Itaque rem his quoque verbis concipere possumus: qui uxore corrupta maritum necarit, nullo modo a sceleris culpa liber potest fieri. Non est dubium, quin poëta duabus his strophis Clytaemnestram et Aegisthum respiciat. Versus autem:

τοὺς δ' ἄκραντος ἔχει νύξ

locum, ut dicunt, communem continet; itaque in strophis, quae singulare quoddam factum (cf. Nägelsbach, die nachhomerische Theolog. des Griech. Volksglaubens, p. 360: „für diesen Fall" *) respiciunt, versus ille repeti non potest; ex quo sequitur inter ephymnia non esse numerandum [10]).

Ephymnia exclamationibus vel uno versu constantia hoc habent commune, quod quoque strophae et antistrophae loco inveniuntur, quin etiam stropharum ephymnium in epodo repetitur. Illud quoque omnium proprium est, quod inter-

---

*) cf. p. 65 sqq.

jectionibus aut admonitionibus constant. Alia vero est ratio eorum, quae pluribus constant versibus et sententiam bene circumscriptam absolutamque continent. Haec recte epiphthegmatica dixeris, ut quae *ὡς ἐκ τοῦ περιττοῦ* strophis *πρόσκεισθαι* videantur. Neque tamen omnino a stropharum argumento aliena sunt putanda. Sententiae enim epiphthegmaticorum generaliores sunt, quam strophae et antistrophae. Continent enim aut ea, quibus chorus maxime movetur, aut summi facit et ab auditoribus maxime respici cupit; itaque epiphthegmatica communia, generalia, strophae autem singularia amplectuntur. Quod uno solo exemplo probare sufficiat, nimis enim longa haec fieret dissertatio, si omnia hoc genus ephymnia in examen vocare vellem. Exemplo autem utar Suppl. ephymnio v. 141 sqq. 151 sqq.:

σπέρμα σεμνᾶς μέγα ματρὸς
εὐνὰς ἀνδρῶν,
ἓ ἕ,
ἄγαμον ἀδάματον ἐκφυγεῖν.

In stropha praecedenti chorus Danaidum Jovem, patrem omnia videntem rogat, ut felicem exitum concedat, in antistropha Athenam, ut persecutores a virginibus repellat. Finem autem utriusque precationis eum virgines esse volunt, ut *σπέρμα σεμνᾶς ματρὸς εὐνὰς ἀνδρῶν* effugere possit. Haec igitur sententia est principalis, quae utrique strophae subest, hanc chorus virginum summi facit, hanc Jovem et Athenam maxime optat propitio numine velle respicere. Quod quo indicetur, versus illos in fine utriusque strophae repetunt.

Ita vero systemata, ephymniis praedita a choro cantata esse veri simile est, ut stropha et antistropha duobus hemichoriis, ephymnia toti choro canenda tribuerentur. Hoc enim maxime ephymniorum naturae convenit.

In Sept. c. Th. fabula unum hujusmodi ephymnium est, 972—976. = 987—991:

ἰὼ, ἰὼ, μοῖρα
βαρυδότειρα, μογερὰ,

πότνιά τ' Οἰδίπου σκιά,
μέλαιν' Ἐριννὺς,
ἦ μεγασθενής τις εἶ [11]).

Choro hos versus tribuo, non Antigonae et Ismenae, quod Schneiderus l. c. p. 8. voluit.

In Suppl. fabula tria, quorum unum: *σπέρμα σεμνᾶς κτλ.* jam integrum proposui. Alterum hoc est, v. 117 sqq. = v. 128 sqq. (Dind.)

ἱλέομαι μὲν Ἀπίαν βοῦνιν
καρβᾶνα δ' αὐδὰν
εὖ, γᾶ, κοννεῖς·
πολλάκι δ' ἐμπίτνω ξὺν λακίδι
λίνοισιν ἢ Σιδονίᾳ καλύπτρᾳ.

Schneiderus scripsit *εὐακοννεῖς*, sed hoc verbum nusquam invenitur; melius esset *εὐακοεῖς*, nisi verbi notio obstaret. Dicunt enim Danaides, se *ἱλεῖσθαι Ἀπίαν βοῦνιν*, jureque hoc facere, quod ab ejus terrae incolis intelligantur [12]). Neque mirum videri potest, Argivos Aegyptiorum linguam novisse. Jam enim antiquissimis temporibus ex Aegypto coloni in Peloponnesum venerant, quorum lingua in his terris divulgata est. Qua de re late lucideque exposuit Gfroerer in libro, qui inscribitur: Urgeschichte des menschl. Geschlechts, vol. II. p. 358 sqq.

Tertium denique Suppl. est v. 162 sqq. (Dind.), quod post v. 175. repetendum esse primus Canterus monuit:

ἆ Ζὰν! Ἰοῦς, ἰώ!
μῆνις μάστειρ' ἐκ θεῶν.
κοννῶ δ' ἄταν γαμετᾶς
οὐρανόνικον·
χαλεποῦ γὰρ ἐκ πνεύματος εἶσι χειμών [13]).

Majoribus ephymniis Aeschylus in Agamemnonis fabula usus est. Prius est v. 1429—1437. (Blomf.):

ἰὼ! ἰὼ! παράνους Ἑλένα,
μία τὰς πολλάς τὰς πάνυ πολλὰς
ψυχὰς ὀλέσασ' ὑπὸ Τροίας.
νῦν δὲ τελείαν πολύμναστον

ἐπηνθίσω δι᾿ αἷμ᾿ ἄνιπτον·
ἥτις ἦν τότ᾿ ἐν δόμοις
ἔρις ἐρίδματος, ἀνδρὸς οἰζύς.

Hoc ephymnium post v. 1450. reponendum est. Blomfieldius lacunam, quae ephymnio expleri potest, indicavit. Alterum est v. 1466—1473. = 1491—1498:

ἰὼ! ἰὼ!
βασιλεῦ! βασιλεῦ! πῶς σε δακρύσω;
φρενὸς ἐκ φιλίας τί ποτ᾿ εἴπω;
κεῖσαι δ᾿ ἀράχνης ἐν ὑφάσματι τῷδ᾿
ἀσεβεῖ θανάτῳ βίον ἐκπνέων
ὤ μοι μοι κοίταν τάνδ᾿ ἀνελεύθερον
δολίῳ μόρῳ δαμεὶς
ἐκ χερὸς ἀμφιτόμῳ βελέμνῳ.

Recte hoc ephymnim in codd. et editionibus repetitur.

Tertium denique, quod semel tantum in libris manuscriptis exstat, est v. 1515—1527:

ἰὼ, γᾶ, γᾶ,
εἴθ᾿ ἐμ᾿ ἐδέξω, πρὶν τόν δ᾿ ἐσιδεῖν
ἀργυροτοίχου
δροίτας κατέχοντα χαμεύναν.
τίς ὁ θάψων νιν, τίς ὁ θρηνήσων;
ἦ σὺ τά δ᾿ ἔρξαι
τλῆσαι, κτείνασ᾿ ἄνδρα τὸν αὑτῆς,
ἀποκωκῦσαι ψυχὴν, ἄχαριν
χάριν ἀντ᾿ ἔργων
μεγάλων ἀδίκως ἐπικρᾶναι;
τίς δ᾿ ἐπιτύμβιον αἶνον ἐπ᾿ ἀνδρὶ θείῳ
ξὺν δακρύοις ἰάπτων
ἀληθείᾳ φρενῶν πονήσει;

Blomfieldius Burnejum secutus hoc ephymnium jure suo post versum 1543 reposuit, uncis tamen inclusit.

Totius igitur systematis schema hoc erit:

στρ. ά.: φεῦ, τίς ἂν ἐν τάχει κτλ.
ἐφ. ά.: ἰὼ, ἰὼ, παράνους Ἑλένα κτλ.
σύστ. ά.: μηδὲν θανάτου κτλ.

ἀντ. α΄.:	δαῖμον, ὃς ἐμπίπτεις κτλ.
ἐφ. α΄.:	ἰὼ, ἰὼ, παράνους Ἑλένα κτλ.
ἀντισύστ. α΄.:	νῦν δ᾽ ὀρθώσας κτλ.
στρ. β΄.:	ἦ μέγαν οἴκοις τοῖσδε κτλ.
ἐφ. β΄.:	ἰὼ, ἰὼ, βασιλεῦ κτλ.
σύστ. β΄.:	αὐχεῖς εἶναι κτλ.
ἀντ. β΄.:	ὡς μὲν ἀναίτιος κτλ.
ἐφ. β΄.:	ἰὼ, ἰὼ, βασιλεῦ κτλ.
ἀντισύστ. β΄.:	οὔτ᾽ ἀνελεύθερον κτλ.
στρ. γ΄.:	ἀμηχανῶ κτλ.
ἐφ. γ΄.:	ἰὼ, γᾶ, γᾶ κτλ.
σύστ. γ΄:	οὔ σε προσήκει κτλ.
ἀντ. γ΄:	ὄνειδος ἥκει κτλ.
ἐφ. γ΄.:	ἰὼ, γᾶ, γᾶ κτλ.
ἀντισύστ. γ΄.:	ἐς τόν δ᾽ ἐνέβη κτλ.

In Choephororum fabula quinque ephymnia insunt. Duo sunt systemata chorica, quae virorum doctorum ingenia vehementer exercuerunt. Neque tamen rem difficillimam expedierunt, alius aliam stropharum rationem constituentes. Tantas totque difficultates haec systemata offerunt, ut Schneiderum sequi malim, quam nimis longa disquisitione omnia perscrutari, cui ne ambitus quidem libelli esset suffecturus. Primum igitur ephymnium invenitur v. 777—780, quod post v. 786. restituendum est:

ἒ, ἔ!
πρὸ δὲ δὴ ᾽χθρῶν
τῶν ἔσω μελάθρων, ὦ Ζεῦ, θές.
ἐπεί μιν μέγαν ἆρας
δίδυμα καὶ τριπλᾶ
παλίμποινα θέλων ἀμείψει.

Alterum est v. 793—797, quod post v. 804. in libris et editionibus non invenitur:

τὸ δὲ καλῶς κτίμενον, ὦ μέγα ναίων
στόμιον, εὖ δὸς ἀνιδεῖν δόμον ἀνδρὸς
καί νιν ἐλευθερίως
λαμπρῶς τ᾽ ἰδεῖν φιλίοις
ὄμμασιν ἐκ δνοφερᾶς καλύπρας.

Tertium est 813—816, quod item in codd. post v. 824. non legitur:

σὺ δὲ θαρσῶν, ὅταν ἥκῃ
μέρος ἔργων, ἐπαΰσας
πατρὸς ἔργῳ θροοῖσα
πρὸς σὲ, τέκνον, πατρὸς αὐδὰν,
καὶ περαίνων ἐπίμομφον ἄταν,

quem locum ita potius scribendum esse puto:

σὺ δὲ θαρσῶν ὅταν ἥκῃ μέρος ἔργων
ἐπαΐσας πατρὸς αὐδᾷ
θροεούσᾳ σε, τέκνον,
πέραιν' ἐπίμομφον ἄταν.

Pro *ἐπαΰσας* scripsi: *ἐπαΐσας*, nam *ι* anceps est facileque id genus verborum ad *ι* longum in fut. et aor. inclinat *). Omnes enim explicationes virorum doctorum adeo contortae sunt, ut textus difficultates aequent. Id autem vel obiter legenti elucet, admoneri Orestem a choro, ut patris mortem ulciscatur. Vox est Agamemnonis, quae filium ex inferis ad finiendam domus *ἄταν* per mortem Clytaemnestrae excitat. Huic sententiae levibus mutationibus textum accommodavi.

Schema vero hujus systematis ephymniis restitutis hoc est:

στρ. α'.:	*νῦν παραιτουμένῃ κτλ.*
ἐφ. α'.:	*ἒ, ἔ, πρὸ δὲ δὴ 'χθρῶν κτλ.*
ἀντ. α'.:	*ἴσθε δ' ἀνδρὸς κτλ.*
ἐφ. α'.:	*ἒ, ἒ, πρὸ δε δὴ 'χθρῶν κτλ.*
στρ. β'.:	*οἵ τ' ἔσωθε δωμάτων κτλ.*
ἐφ. β'.:	*τὸ δὲ καλῶς κτλ.*
ἀντ. β'.:	*ξυλλάβοιο δ' ἐνδίκως κτλ.*
ἐφ. β'.:	*τὸ δὲ καλῶς κτλ.*
στρ. γ'.:	*καὶ τότε δὴ πλοῦτον κτλ.*
ἐφ. γ'.:	*σὺ δὲ θαρσῶν κτλ.*
ἀντ. γ'.:	*Περσέως τ' ἐν φρεσὶν κτλ.*
ἐφ. γ'.:	*σὺ δὲ θαρσῶν κτλ.*

---

*) Cf. Passov.: Die Lehre vom Zeitmaasse der Gr. Spr. tab. V.

Quartum et quintum Choephororum ephymnium in extrema parte inveniuntur. Prius a versu 929. incipit et post v. 939. reponendum est:

ἐπολολύξατ᾽, ὦ, δεσποσίνων δόμων
ἀναφυγὰς κακῶν, καὶ κτεάνων τριβᾶς
ὑπὸ δυοῖν μιαστόροιν
δυσοίμου τύχας.

Alterum v. 948—951, cujus primus versus post v. 958. in codd. et editt. repetitus invenitur:

πάρα τὸ φῶς ἰδεῖν, μέγα δ᾽ ἀφῃρέθη
ψάλιον οἴκων.
ἄνα γε μὰν δόμοι· πολὺν ἄγαν χρόνον
χαμαιπετεῖς ἔκεισθ᾽ ἀεί.

Systematis hujus schema hoc est:

στρ. ά.: ἔμολε μὲν δίκα κτλ.
ἐφ. ά.: ἐπολολύξατ᾽, ὦ, κτλ.
ἀντ. ά: ἔμολε δ᾽ ᾧ μέλει κτλ.
ἐφ. ά.: ἐπολολύξατ᾽, ὦ, κτλ.
στρ. β΄.: τάπερ ὁ Λοξίας κτλ.
ἐφ. β΄.: πάρα τὸ φῶς ἰδεῖν κτλ.
ἀντ. β΄.: τάχα δὲ παντελὴς κτλ.
ἐφ. β΄.: πάρα τὸ φῶς ἰδεῖν κτλ.

In Eumenidum fabula item quinque ephymnia sunt, quorum duo intra dialogum collocata inveniuntur.

316—319 = 325—328 (Well.):

ἐπὶ δὲ τῷ τεθυμένῳ
τόδε μέλος, παρακοπὰ,
παραφορὰ φρενοδαλὴς,
ὕμνος ἐξ Ἐριννύων,
δέσμιος φρενῶν, ἀφόρ-
μικτος, αὐονὰ βροτοῖς.

Secundum a v. 335—339, post v. 346. in libris non exstat:

ἀνατροπὰς, ὅταν ἄρης
τιθασος ὢν φίλον ἕλῃ.
ἐπὶ τὸν, ὦ, διόμεναι,
κρατερὸν ὄνθ᾽, ὅμοίως
μαυροῦμεν ὑφ᾽ αἵματος νέου.

Tertium in eodem systemate v. 346—350, cui injuria Hermannus hunc locum tribuit, ponitur enim vulgo post v. 354:

μάλα γὰρ οὖν ἁλλομένα
ἄγκαθεν βαρυπεσῆ
καταφέρω ποδὸς ἀκμὰν,
σφαλερὰ τανυδρόμοις
κῶλα, δύσφορον ἄταν.

Strophica ratio systematis haec est:

στρ. ά.:	μᾶτερ, ἅ μ' ἔτικτες, κτλ.
ἐφ. ά.:	ἐπὶ δὲ τῷ τεθυμένῳ, κτλ.
ἀντ. ά.:	τοῦτο γὰρ λάχος κτλ.
ἐφ. ά.:	ἐπὶ δὲ τῷ τεθυμένῳ κτλ.
στρ. β'.:	γιγνομέναισι λάχη κτλ.
ἐφ. β'.:	ἀνατροπὰς ὅταν Ἄρης κτλ.
ἀντ. β'.:	σπεύδομεν κτλ.
ἐφ. β'.:	ἀνατροπὰς ὅταν Ἄρης κτλ.
στρ. γ'.:	δόξαι τ' ἀνδρῶν κτλ.
ἐφ. γ'.:	μάλα γὰρ οὖν κτλ.
ἀντ. γ'.:	πίπτων δ' οὐκ οἶδεν κτλ.
ἐφ. γ'.:	μάλα γὰρ οὖν κτλ.

Ephymnia hucusque proposita intra systemata locum habent; duo, quae sequuntur, intra dialogum collocata sunt:

Eum. 748—760 = 775—787:

ἰὼ θεοὶ νεώτεροι παλαιοὺς νόμους
καθιππάσασθε, κἀκ χερῶν εἵλεσθέ μου.
ἐγὼ δ' ἄτιμος ἡ τάλαινα βαρύκοτος,
ἐν γᾷ τᾷδε, φεῦ,
ἰοὺ, ἰοὺ,
ἀντιπαθῆ μεθεῖσα καρδίας σταλαγμὸν χθονὶ
ἄφορον· ἐκ δὲ τοῦ, λιχὴν ἄφυλλος,
ἄτεκνος, ὦ δίκα, πέδον ἐπισύμενος
βροτοφθόρους κηλῖδας ἐν χώρᾳ βαλεῖ.
στενάζω· τί ῥέξω; γελῶμαι, δύσοιστα
πολίταις πάθον,
ἰὼ, μεγάλατοι κόραι δυστυχεῖς
Νυκτὸς ἀτιμοπενθεῖς.

Alterum ibidem

v. 801—809 = 832—840:

ἐμὲ παθεῖν τάδε, φεῦ,
ἐμὲ παλαιόφρονα κατὰ γᾶς οἰκεῖν,
ἀτίετον, φεῦ, μύσος.
πνέω τοι μένος, ἅπαντά τε κότον.
οἶ, οἶ, δᾶ φεῦ.
τίς μ' ὑποδύεται πλευρὰς ὀδύνα;
θυμὸν ἄϊε μᾶτερ
Νύξ. ἀπὸ γάρ με τιμᾶν δαμιᾶν θεῶν
δυσπάλαμοι παρ' οὐδὲν ἦραν δόλοι.

Nullum praeterea intra dialogum ephymniorum exemplum reperitur, nisi forte in Promethei fabula versus 708—720:

ἔα, ἔα,
ἄπεχε φεῦ!
οὔποτ' οὔποτ' ηὔ-
χουν ξένους μολεῖ-
σθαι λόγους
ἐς ἀκοὰν ἐμὰν,
οὐδ' ἆδε δυσθέατα καὶ δύσοιστα
πήματα, λύματα,
δείματ' ἀμ-
φήκει κέντρῳ ψύχειν ψυχὰν ἐμάν.
ἰὼ, ἰὼ,
μοῖρα, μοῖρα, πέφρικ' εἰσ-
ιδοῦσα πρᾶξιν Ἰοῦς

post v. 766. repetendos duxeris. Est enim unicum monostrophici apud Aeschylum exemplum. Sed apud Sophoclem in Trach. v. 205. item carmen monostrophicum exstat. Quam ob rem de Aeschyli loco nihil affirmare audeo, etsi maxime ad naturam epiphthegmaticorum accedat [14]).

In his Aeschyli ephymniis illud facile animadvertitur, poetam iis plerumque in extrema fabulae parte uti. Cujus rei caussa ea videtur esse, quod in extremis fabularum partibus agentium animi adeo commoti apparent, ut cogitationum varietas maxime coerceatur, quodque semel mentem occupaverit, semper ei obversetur. Accedit, quod in ephymniis

gravitas quaedam inest, quae in fine fabularum mirum quantum ad commovendos animos confert.

Etiam hoc monendum est, Aeschyli tragoedias ephymniis inter se differre; majora enim in Agamemnonis, Choëphororum et Eumenidum fabula, in Persis et Septem et Suppl. et Promethea breviora ephymnia.

Ab hac Aeschyli consuetudine quam maxime Sophocles discedit. Nunquam enim integras sententias repetit, ejusmodi enim repetitiones ab orationis Sophocleae varietate abhorrent, sed interjectiones saepius in stropharum initio, plerumque autem intra strophas sibi respondentes repetit; e. g. Ant. 1267 = 1290: αἰαῖ αἰαῖ; 1271 = 1294: οἴμοι; Elect.: 827: ἒ ἔ, αἰαῖ = 840: ἒ ἔ, ἰώ; 830 = 842: φεῦ; Trach. 1004 = 1014: ἒ ἔ; Aj. 370: αἰαῖ αἰαῖ = 385: ἰώ μοί μοι; 694 = 707: ἰὼ ἰώ; 891 = 937: ἰώ μοί μοι; Phil. 1086: ἰώ μοί μοι = 1106: αἰαῖ αἰαῖ; etc. Sophoclem Euripides secutus est.

V. De ephymniis Aristophanis.

Quemadmodum singuli vel plures versus certis locis repetiti traegoediis gravitatem quandam comparant, ita in comoediis ad risum movendum efficacissimi sunt. Nec mirum. Gravia enim severaque ridiculis admixta, gravitatem amittunt, et levia absurda ineptaque apparent [15]). Sic poetae comici bacchio, qui in tragoedia dochmii loco est, utuntur, quo majus fiat discrimen gravitatem inter et levitatem. Itaque mirum nemini videri potest, comoedorum principem ephymniis esse usum; minus tamen frequenter, quam Aeschylus; praeterea sunt breviora, plerumque interjectionibus constantia, quanquam hic illic integrae sententiae repetuntur.

Plutus unum ephymnium habet,

v. 308 (Invern.) = 315:

ἕπεσθε μητρὶ χοῖροι.

Qui versus cum praecedentibus verborum vinculo cohaeret. Positus est in fine stropharum.

Iisdem verbis constat ephymnium Eccles.

v. 1014—15 = 1019—20:

ἄνοιξον, ἀσπάζου με,
διά τοι σε πόνους ἔχω.

Lysistr. v. 294. 95. = 304. 5:
φῦ! φῦ!
ἰοὺ, ἰοὺ τοῦ καπνοῦ.

Haec ephymnia non semper iisdem verbis constant, sed plerumque leviter mutatis:

Eccles. v. 997—999 = 1007—1009:
μέθες, ἱκνοῦμαί σ', Ἔρως,
καὶ ποίησον τόνδ' ἐς εὐνὴν
τὴν ἐμὴν ἱκέσθαι.

v. 1008. pro τόνδ' dicitur τήνδ'.

Acharn. 1229:
προσλάβεσθ' ὦ φίλοι
= 1231: προςλάβεσθ' ὦ φίλαι
Av. 909: Μουσάων θεράπων
ὀτρηρὸς, κατὰ τὸν Ὅμηρον.
v. 913: θεράποντες ὀτρηροί.

Haec ephymnia poëta ipse fecit; quae sequuntur ex vitae usu deprompsit.

Ran. 405. 410. 415:
Ἴακχε φιλοχορευτὰ, συμπρόπεμπέ με.

Carmen a verbis Ἴακχε πολυτίμητε incipiens tribus strophis constat, quarum cuique ephymnium in fine additum est [15a]). In eadem fabula v. 328. et v. 345. est ephymnium Ἴακχ' ὦ Ἴακχε intra stropham et antistropham. Ex Apollinis culta depromptum est ἰὴ Παιὰν, quod saepius in Aristophanis comoediis obvium est. Non tamen eodem modo ubique scribitur: ἰὴ Παιήων, ἰὼ, ἰὼ Παιὰν Παίαν; ἰὴ Παιὼν, ἰὴ Παιών; ἰὴ Παιὰν, ἰή; ἰήϊε Παιάν; nullum tamen carmen invenitur apud Aristophanem, in quo sibi respondens appareat.

Aliud ephymnium ex epithalamiis sumptum est Av. 1743. 1749. 1765. In duobus locis prioribus geminandum ephymnium est, quum carmen duabus strophis constet, in quarum priore ephymnium Ὑμὴν ὦ, Ὑμέναι' ὦ simplex, in altera

duplex occurrit in libro Ravennate. Quae inaequalitas ita optime tollitur, si post primam stropham ephymnium bis legitur.

Alter locus, ubi idem ephymnium occurrit, est carmen choricum in fine Pacis, quod a Bergkio ita constitutum novissime editum est:

Ὑμήν, Ὑμέναι' ὦ.
ὦ τρισμάκαρ, ὡς δικαί-
ως τἀγαθὰ νῦν ἔχεις.
Ὑμήν, Ὑμέναι' ὦ,
Ὑμήν, Ὑμέναι' ὦ.
τί δράσομεν αὐτήν;
τί δράσομεν αὐτήν;
τρυγήσομεν αὐτήν,
τρυγήσομεν αὐτήν.
ἀλλ' ἀράμενοι φέρω-
μεν οἱ προτεταγμένοι
τὸν νυμφίον, ὦνδρες.
Ὑμήν, Ὑμέναι' ὦ,
Ὑμήν, Ὑμέναι' ὦ.
οἰκήσετε γοῦν καλῶς
οὐ πράγματ' ἔχοντες, ἀλ-
λὰ συκολογοῦντες.
Ὑμήν, Ὑμέναι' ὦ,
Ὑμήν, Ὑμέναι' ὦ.
τοῦ μὲν μέγα καὶ παχύ,
(hic Bgk. v. excid. putat).
τῆς δ' ἡδὺ τὸ σῦκον.
(eph. Bgk. excid. putat).
φήσεις γ' ὅταν ἐσθίῃς
οἶνόν τε πίῃς πολύν·
Ὑμήν, Ὑμέναι' ὦ,
Ὑμήν, Ὑμέναι' ὦ.
ὦ χαίρετε χαίρετ' ἄν-
δρες κἂν ξυνέπησθέ μοι
πλακοῦντας ἔδεσθε.

Certam legem, certamque responsionem in hoc carmine inesse facile animadvertimus. Duae enim strophae tribus quaeque

versibus (v. 10—12, 15—17.) constant, quatuor duobus (v. 1. 2; 6—9; 20. 21.; 22. 23.), quarum duae in initio, duae in fine positae sunt; tres versus finales (26. 27. 28.) Trygaeo tribuo. His praemissis carmen ita constituo:

	ΟΛΟΣ Ο ΧΟΡΟΣ:	Ὑμήν, Ὑμέναι' ὦ.
ΤΟΥ ΧΟΡΟΥ ΟΙ Γ'		ὦ τρισμάκαρ ὡς δικαί- ως τἀγαθὰ νυν ἔχεις. Ὑμήν, Ὑμέναι' ὦ.
	ΟΛ. Ο ΧΟΡ.:	Ὑμήν, Ὑμέναι' ὦ.
ΤΟΥ ΧΟΡΟΥ ΟΙ Β'.	τῶν Β' οἱ ά:	τί δράσομεν αὐτήν;
	τῶν Β' οἱ β':	τί δράσομεν αὐτήν;
	τῶν Β' οἱ ά:	τρυγήσομεν αὐτήν,
	τῶν Β' οἱ β':	τρυγήσομεν αὐτήν.
	πάντες οἱ Β':	Ὑμήν, Ὑμέναι' ὦ.
	ΟΛ. Ο ΧΟΡ.:	Ὑμήν, Ὑμέναι' ὦ.
ΤΟΥ ΧΟΡΟΥ ΤΩΝ Α' οἱ ά		ἀλλ' ἀράμενοι φέρω- μεν οἱ προτεταγμένοι τὸν νυμφίον ὦνδρες. Ὑμήν, Ὑμέναι' ὦ.
	ΟΛ. Ο ΧΟΡ.	Ὑμήν, Ὑμέναι' ὦ.
ΤΟΥ ΧΟΡΟΥ ΤΩΝ Α' οἱ β'.		οἰκήσετε γοῦν καλῶς οὐ πράγματ' ἔχοντες ἀλ- λὰ συκολογοῦντες Ὑμήν, Ὑμέναι' ὦ.
	ΟΛ. Ο ΧΟΡ.:	Ὑμήν, Ὑμέναι' ὦ.
ΤΟΥ ΧΟΡΟΥ ΟΙ Β'.	τῶν Β' οἱ ά:	τοῦ μὲν μέγα καὶ παχὺ,
	τῶν Β' οἱ β':	τοῦ μὲν μέγα καὶ παχὺ,
	τῶν Β' οἱ ά:	τῆς δ' ἡδὺ τὸ σῦκον,
	τῶν Β' οἱ β':	τῆς δ' ἡδὺ τὸ σῦκον.
	πάντες οἱ Β':	Ὑμήν, Ὑμέναι' ὦ.
	ΟΛ. Ο ΧΟΡ.:	Ὑμήν, Ὑμέναι' ὦ.
ΤΟΥ ΧΟΡΟΥ ΟΙ Γ'.		φήσεις γ' ὅταν ἐσθίῃς οἶνόν τε πίῃς πολὺν Ὑμήν, Ὑμέναι' ὦ.
	ΟΛ. Ο ΧΟΡ.:	Ὑμήν, Ὑμέναι' ὦ.

ΤΡΥΓΑΙΟΣ.

ὦ χαίρετε χαίρετ' ἄν-
δρες, κἂν ξυνέπησθέ μοι
πλακοῦντας ἔδεσθε.

Hanc chori partium dispositionem rei naturae maxime accommodatam esse duxi, neque ab Aristophanis arte alienam esse arbitror [16]).

Imitationis caussa Aristophanes in Ranis a v. 1288. ephymnio usus est. Euripides enim hoc loco Aeschylum ob ephymniorum studium irridet; recte versum repetitum ex Hephaestionis interpretatione mesymnium dixeris:

Φθιῶτ' Ἀχιλεῦ, τί ποτ', ἀνδροδάϊκτον ἀκούων
ἰὴ κόπον! οὐ πελάθεις ἐπ' ἀρωγάν;
Ἑρμᾶν μὲν πρόγονον τίομεν γένος οἱ περὶ λίμναν.
ἰὴ κόπον! οὐ πελάθεις ἐπ' ἀρωγάν;
κύδιστ' Ἀχαιῶν, Ἀτρέως πολυκοίρανε, μάνθανέ (μου) παῖ.
ἰὴ κόπον! οὐ πελάθεις ἐπ' ἀρωγάν;
εὐφαμεῖτε· μελισσονόμοι δόμον Ἀρτέμιδος πέλας οἴγειν.
ἰὴ κόπον! οὐ πελάθεις ἐπ' ἀρωγάν;
κύριός εἰμι θροεῖν ὅδιον κράτος αἴσιον ἀνδρῶν.
ἰὴ κόπον! οὐ πελάθεις ἐπ' ἀρωγάν;

Ejusdem Aeschyli irridendi caussa Aristophanes Euripidem mesymnio alio utentem facit, v. 1310—1322:

ὅπως Ἀχαιῶν δίθρονον κράτος, Ἑλλάδος ἥβας,
τὸ φλαττόθρατ, τὸ φλαττόθρατ.
Σφίγγα δυσαμερίαν, πρύτανιν κύνα, πέμπει,
τὸ φλαττόθρατ, τὸ φλαττόθρατ.
σὺν δορὶ καὶ χερὶ πράκτορι θούριος ὄρνις,
τὸ φλαττόθρατ, τὸ φλαττόθρατ.
κυρεῖν παρασχὼν ἰταμαῖς κυσὶν ἀεροφοίτοις,
τὸ φλαττόθρατ, τὸ φλαττόθρατ.
τὸ συγκλινὲς ἐπ' Αἴαντι,
τὸ φλαττόθρατ, τὸ φλαττόθρατ.

Vocis quoque animalium imitationes ephymnia habendae sunt, si in eodem stropharum loco sibi respondentes apparent. In Avibus duae strophae cum ephymniis, seu mesymniis inveniuntur, 737—752 = 769—784.

Str.		Ant.
v. 738	=	v. 770:

τιὸ τιὸ τιὸ τιὸ τιὸ τιὸ τιοτίγξ.

v. 741 = v. 773:
τιὸ τιὸ τιὸ τιοτίγξ.
v. 743 = v. 776:
τιὸ τιὸ τιὸ τιοτίγξ.
v. 747 = v. 779:
τοτοτοτοτοτοτοτοτοτίγξ.
v. 752 = v. 784:
τιὸ τιὸ τιὸ τιοτίγξ.

Huc etiam referendum videtur carmen *ἀνομοιόστροφον* Ran. v. 210 sqq. ubi ranarum *εὔγηρυς ἀοιδὰ* saepius repetitur: *βρεκεκεκὲξ, κοὰξ, κοάξ*[17]): ephymnium sane pulcherrimum omnique laude majus.

Ex iis, quae supra de ephymniorum natura et origine disputata sunt, facile intelligitur, illud versuum genus minus Romanae poesi, quam Graecae convenire. Quo fit, ut longe plurima Romanorum carmina a popularium hominum ingenio alienissima sint; ubi vero ad eorum naturam accedere videntur, artis studium nequicquam dissimulant. Minor inde ephymniorum varietas et frequentia. Qmnium maxime Catullus naturae studio ductus repetitis versibus usus videtur esse, quum plura apud eum carmina cum ephymniis exstent, quorum numerus satis magnus fuisse veri simile est, si ex paucis quae nobis reliqua sunt carminibus licet judicare.

Apud poetas scenicos hic illic versus repetiti exstant, qui tamen ad ephymnia revocari nequeunt, quum responsio ab iis absit. Quam ob rem male mihi videtur egisse editor Pervigilii Veneris pristino nitori restituti, 1852, p. 9, qui verba Plaut. Asin. V. II.:

„surge amator, i domum"

simile intercalari versui hemistichium appellat. Sola enim repetitio versum intercalarem non efficit. In eo Plauti Asinariae loco Artemona Demaenetum maritum, qui in Philenii meretricis lustro ebrius et somnolentus jacebat, impellit, ut

surgat domumque redeat. Natura autem ita fert, ut ejusmodi homines haud facile ex somno excitentur; saepius percutiendi monendique sunt, quod plerumque iisdem verbis solet fieri. Itaque hemistichium illud Plautinum ephymniis adnumerari nequit. Nec majore cum jure idem scriptor Plaut. Cas. IV. III.:

„Io Hymen Hymenaee, io Hymen"

ad intercalares versus refert. In hac enim Cas. scena Olympio fame cruciatus cantu stomachum esurientem placare vult. Nullum in hoc ephymnii consilium, nulla responsio. Verba illa ephymnio loco sunt in carminibus epithalamiis.

Verum autem ephymnium apud Senecam tragicum Troad. I. v. 94. 115. invenio, ubi Hecuba in fine duorum systematum anapaesticorum versum:

„Hectora flemus"

addit, qui quum iisdem locis positus sit, ad ephymnia revocandus est.

VI. De Catulli ephymniis.

Val. Catullus, clarissimus Romanorum poeta, repetitionum videtur fuisse amantissimus, quod vel ex paucis quae ad nos pervenerunt carminibus intelligimus, quum in pluribus repetiti versus reperiantur. Quarum quidem repetitionum duo genera discernenda mihi videntur, primum ex ingenii ubertate, alterum ex vitae consuetudine depromptum. Non temere hanc distinctionem a me esse factam e diversa ratione, qua Catullus utroque genere usus est, sequitur. Prioris enim generis repetitiones in carminibus astrophis ad augendam vim sermonis et acerbitatem, alterius natura carminum ductus poeta adhibuit, quum consuetudo ususque vitae certa quaedam omnibusque cognita ephymnia postularent. Jam ad prius genus referenda haec sunt:

I. Carm. XXIX. Versus:

„Cinaede Romule, haec videbis et feres?"

bis positus est, v. 5 et 9, neque ullo verborum vinculo cum praecedentibus aut subsequentibus cohaeret.

II. Carm. XLII constat 24 versibus, quorum quinque

priores prooemii loco sunt; quinque sequentibus adnectuntur eodem verborum complexu versus:

„Moecha putida, redde codicillos,
redde putida moecha codicillos",

qui post sex sequentes eodem modo repetuntur. Tum post tres versus ephymnium mutatum:

„pudica et proba, redde codicillos"

simplex additur.

III. Carm. LII quatuor constat versibus, quorum primus et ultimus per se constantes iidem sunt:

v. 1 et 4: „Quid est, Catulle? quid moraris emori."

IV. Carmen LVII, simillimum carm. LII, primus enim versus in fine repetitur:

„Pulchre convenit improbis cinaedis."

Ceterum cum his duobus carminibus cf. carmen apud Wolff. Volkslieder, p. 93. № 6. Ad alterum ephymniorum genus referendum est a liena

I. carmen LXI., quod quinque ephymnia habet:

1. . . . . . o Hymenaee Hymen,
o Hymen Hymenaee.

vel:

io Hymen Hymenaee io
io Hymen Hymenaee.

2. . . . . quis huic deo
compararier ausit.

3. prodeas nova nupta.

4. concubine nuces da.

5. perge, ne remorare.

Primum ephymnium quindecim strophas, 1. 8. 10. 12. 24. 28—37. secundum tres, 13—15, tertium quatuor, 18. 19. 21. 23, quartum duas, 26. 27, quintum unam stropham, 39, claudit.

Carminis hujus ratio prorsus perturbata esse videtur. Quod quo melius intelligatur, argumentum breviter exponam. Triginta quinque prioribus versibus, qui septem strophas efficiunt, Hymen invocatur rogaturque, ut nuptias visitet. Tum duabus strophis virgines ad Hymenem invocandum excitantur. Sex deinde strophis Amoris potentia laudatur. Octo quae sequuntur strophis sponsa ad prodeundum excitatur. Tum pueri sex strophis sponsum „procaci Fescennina locutione"

cavillantur. Deinde octo strophis sponsa docetur, qualis erga maritum esse debeat et quemadmodum in tribus strophis sequentibus sponsus, in thalumum vocatur. Denique sex ultimae strophae vota canentium continent, quibus conjugibus multas voluptates liberosque exoptant. Jam numeris carmen proponere liceat:

Pars	I.	continet	7	strophas,
,,	II.	,,	2	,,
,,	III.	,,	6	,,
,,	IV.	,,	8	,,
,,	V.	,,	6	,,
,,	VI.	,,	8	,,
,,	VII.	,,	3	,,
,,	VIII.	,,	6	,,

Satis, puto, ex his numeris intelligitur, certa quadam lege poetam esse usum, quum casu factum esse mihi non videatur, ut numerus senarius ter, octonarius bis occurrat. Etiam certa responsio inter singulas partes intercedit. Pars enim quarta, quae a versu: ,,claustra, pandite janua" incipit, simillima est parti septimae: ,,jam licet venias marite"; qua in parte tres excidisse strophas opinor, quarum ephymnium:

. . . . . sed abit dies:
perge, ne remorare,

superiori:

. . . . . sed abit dies:
prodeas nova nupta,

respondebat. Jam vides stropharum rationem perfectiorem fieri. Strophas autem ita inter pueros et virgines distributas fuisse censeo:

Pueri.			Virgines.		
Strophae	7.	v. 1—35.	Strophae	8.	v. 36—75.
			,,	8.	v. 76—116.
,,	6.	v. 117—146.	,,	8.	v. 147—186.
,,	3. (6?)	v. 187—201.	,,	P. et V.	v. 186—231.

Plura de carminis dispositione affirmare non ausim, quamquam varia de quibusdam locis suspicari possis. Hoc unum animadvertendum restat, Catullum ephymnia pro necessitate paulisper mutare.

Legimus enim v. 90: abit dies; v. 105. 115: sed abit dies; v. 131: concubino nuces da; v. 135: miser, ah miser concubine nuces da. Ephymnium:

io Hymen, Hymenaee io,
io Hymen Hymenae

semel cum praecedentibus cohaeret v. 120, semel per parenthesin, v. 155, in ceteris locis, v. 140. 145. 150. 160. 165. 170. 175. 180. 185. absolute positum est. Ephymnium:

. . . . . o Hymenaee Hymen,
o Hymen, Hymenaee,

ter: v. 4. 49. 59. per se constans, semel: v. 39. cum praecedentibus cohaerens apparet [18]).

II. Carm. LXII. Hoc carmen epithalamium idem ephymnium leviter tamen mutatum habet. Carminis enim sexagesimi primi ephymnium simplicem exclamationem, hujus:

Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymnaee!

adhortationem continet. Est autem carmen strophicum, quod a pueris et virginibus canebatur. Post versus 32. 33. 34. 41. 59. lacunae apparent; quo fit, ut viri docti in versuum numero constituendo discedant. G. Hermannus in Jahnii Ann. XXII. p. 309. hoc modo divisit:

provemium.		prood.	mesodus.						epodus.
5	5	9	6	6	n.	n.	11	11	9
juv.	virg.	juv.	v.	j.	v.	j.	v.	j.	juv.

Aliam Rossbachius divisionem statuit (praef. ad Cat. p. 12.):

	II str. amoeb. quaternorum vers. 1—10.	
II str. juv. quaternorum v. 11—19	VIII str. amoeb. quinorum v. 20—59	II str. juv. quaternorum v. 59—66.

Strophicam responsionem idem vir doctissimus hanc esse censet: str. α', ant. α'; str. β', ant. β'; str. γ', str. δ'; ant. γ', ant. δ'; strophas denique puellis, antistrophas pueris canendas tribuit. Non dubito, hanc Rossbachii divisionem recipere, addo tamen ephymnium post v. 58, quod versui 48 respondeat [18a]).

III. Carm. LXIV. Est omnium Catullianorum maximum, Pelei Thetidisque nuptias celebrans. Duabus partibus constat, v. 1—322. et 323—381; quae sequuntur epodi loco sunt. Ea pars, quam Parcae canunt, habet ephymnium:

„Currite ducentes subtegmina currite fusi“ [19]).

quod incantationis naturam praeseferre quisque videt, cf. Theocriteum (II.):

ἴυγξ, ἕλκε τὺ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα.

Numerus autem versuum stropharum vulgo hic est:

4 5 3 4 4 4 3 4 3 5 3 2 2.

Praevalet numerus quaternarius, binarius et quinarius bis uterque, ternarius quater invenitur. Etiam stropharum numerus impar (sunt enim tredecim) aliquid offensionis habet, quae tamen tollitur, si cum Bergkio et Rossbachio ephymnium v. 78. ejiciatur; ita enim duodecim strophae efficiuntur. Etiam v. 330:

Quae tibi flexo animo mentis perfundat amorem

vehementer suspectum Catullo abjudicare non dubito. Post v. 355. unum excidisse manifestum est. Stropharum rationem hanc constituo:

4 4 | 3 4 4 4 3 | 4 3 5 3 4.

Rossbachius quidam transpositione versuum inserendoque uno versu post v. 371. strophas tetrastichos efficere conatur. Duobus autem locis transpositione usus est:

333. languidulosque paret tecum conjungere somnos
332. (currite ducentes subtegmina, currite fusi)
334. levia substernens robusto brachia collo.

pariterque:

366. Nam simulac fessis dederit fors copiam Achivis
365. (currite ducentes subtegmina currite fusi)
367. urbis Dardaniae Neptunia solvere vincla.

Sed his violentissimis mutationibus tres rationes opponi possunt: primum librorum manuscriptorum auctoritas, qua transpositiones illae probari nequeunt, deinde Catulli ingenium, cui nihil obstabat, quominus strophas numero sibi respondentes efficeret, si voluisset, tum sententiarum per ephymnium divulsio, quae evitatur ephymniis suis locis retentis. Nam si quaeritur, utrum egregio poëtae magis conveniat, sententias interposito ephymnino divellere, an unam alteramve

stropham versu majorem ceteris efficere, servata sententiarum unitate, equidem sine ulla cunctatione posterius affirmem. Parum autem juvat Rossbachium locus Cat. carm. 61. 154—157. quum locorum, quos vir doctos transpositione versuum sanare conatur, longe alia sit ratio, atque illius. Nam transpositione uni strophae versus arctissime cum ea cohaerens demitur, alteri autem diversam sententiam continenti alienum quoddam obtruditur; quod carm. 31, 154—151. fieri nemo centendet. Neque Theocriteum carmen II. ad sententiam suam probandam afferre debuit, quum omnes strophae illius carminis majore interpunctione distingui possint [20]).

VII. De Ovidii Amor. lib. I. eleg. VI.

Constat carmen proodo sedecim mesodo quadraginta et epodo decem et octo versuum. Mesodus hoc habet singulare, quod in fine quarti cujusque distichi versus:

„Tempora noctis eunt, excute poste seram"

Mesodum in strophae esse distinguendam certus ephymnii locus satis demonstrat. Non tamen quaterna disticha strophis tribuam, sed bina, quo similes fiant strophis Cat. LXII. 11—19; 39—48; 59—66, ubi post binas strophas ephymnium positum est:

Adspice et ut videas immitia claustra relaxa,
  uda sit ut lacrimis janua facta meis.
Certe ego, quum posita stares ad verbera veste,
  ad dominam pro te verba tremente tuli.

Ergo, quae valuit pro te quoque gratia quondam,
  heu facinus! pro me nunc valet illa parum?
Redde vicem meritis! grato licet esse. Quod optas,
  tempora noctis eunt, excute poste seram!

Et sic deinceps. Epodus autem in strophas dividi non potest, quum novem distichis composita sit; quod argumento est, etiam proodum strophis distingui non posse, quanquam octo disticha habeat. Ephymnium nullo loco, excepto v. 23, cum praecedentibus vel sequentibus cohaeret. Denique evidenter ephymnia sententiam principalem continere hoc carmine probatur, quum omnia carmina paraclausithyra que-

rellam de non concessa intrandi copia precesque, ut concederetur, continerent. Itaque nostro carmine poëta votum primarium: „excute poste seram" ephymnio expressit.

VIII. De Valerii Catonis Diris.

Priusquam ad bucolicos transimus dicendum est de carminibus duobus, Diras dico Catonis et Pervigilium Veneris, quum utrumque carmen ephymniis insigne sit. Ac Dirarum quidem rationem strophicam vehementer esse perturbatam carmen primo obtutu demonstrat, non tamen afuisse ex responsionis vestigiis elucet uti mox videbimus. Naekius, vir clarissimus, duodecim versus intercalares in hoc carmine esse contendit (Animadvv. in Cat. Dir. p. 24.):

v. 1:
Battare, cycneas repetamus carmine voces.
v. 7:
multa prius, fuerit quam non mea libera avena.
v. 14:
Rursus, et hoc iterum repetamus Battere carmen.
v. 19:
nec desit nostris devotum carmen avenis.
v. 25:
Sic precor, et nostris superent haec carmina votis.
v. 30:
nec mihi saepe meum resonabit Battare carmen.
v. 47:
Sic precor et nostris superent haec carmina votis.
v. 54:
Tristius hoc, memini, revocasti Battare carmen.
v. 62:
rura, quibus diras indiximus, impia vota.
v. 71:
Dulcius hoc, memini, revocasti Battare carmen.
v. 75:
Tristius hoc rursum dicat mea fistula carmen.
v. 97:
Extremum carmen revocemus Battare avena.

Hunc ephymniorum numerum si recipimus, carmen ita nobis dividendum est:

vv. 2—6	=	5 vv.	vv. 48—53	=	6 vv.
vv. 8—13	=	6 vv.	vv. 55—61	=	7 vv.
vv. 15—18	=	4 vv.	vv. 63—70	=	8 vv.
vv. 20—24	=	5 vv.	vv. 72—74	=	3 vv.
vv. 26—29	=	4 vv.	vv. 76—96	=	21 vv.
vv. 31—46	=	16 vv.	vv. 98—103	=	6 vv.

Sed Naekii sententiae non esse accedendum puto. Videtur enim vir clarissimus quibusdam versibus indolem ephymniorum vindicare, quibus optimo jure abjudicaveris. Ex horum numero est v. 7, cui ephymnii natura nullo modo vindicari potest. Eodem sane majoreque jure v. 2. 3. intercalares haberentur, quos tamen nemo facile agnoscat. Versus autem septimus nihil aliud est, quam enunciatum consequens praecedentium. Atque facile est ad intelligendum, sententiam ejus quam maxime ab reliquorum intercalarium sensu differre. Omnibus enim omnia contraria fieri dicit poeta, priusquam libertatem canendi sibi eripi patiatur. Quis hanc sententiam ephymnio aptam putet? Itaque vv. 1—7. nihil aliud habendi sunt nisi totius carminis exordium. Ipsum autem carmen Dirarum a v. 8. incipit, cujus primum ephymnium est v. 14:

Rursus, et hoc iterum repetamus Battare carmen.

Stropha praecedens sex versus continet.

Priusquam autem plura de carminis divisione proponam, demonstrandum mihi est, carmen non ea forma ad nos pervenisse, quam a Catone accepit; quod nisi luculentis rationibus demonstravero, ne audaciae arguar mihi timendum erit.

Qui quidem vv. 4—7:

Ante lupos rapient haedi, vituli ante leones,
delphini fugient pisces, aquilae ante columbas,
et conversa retro rerum discordia gliscet,
multa prius, fuerit quam non mea libera avena,

cum versibus 98—101:

Dulcia amara prius fient et mollia dura,
candida nigra oculi cernent et dextera laeva,
migrabunt casus aliena in corpora rerum:
quam tua de nostris emigret cura medullis,

vel obiter comparaverit, responsionem quamdam inter eos intercedere facile intelliget. Nam et versuum numerus idem est, eademque sententiarum forma, et loci quos in toto carmine obtinent, sibi respondent. Itaque vv. 1—3. exordii loco (cf. Bion. Epitaph. Adon. v. 1. 2.) sunt, vv. 4—7. proodum, vv. 98—101. epodum efficiunt. Huic divisioni videntur obstare vv. 102. 103, qui, ut nunc leguntur in fine carminis, ad epodum referendi sunt. Sed v. 102. plures offensiones habet; ,,deest enim in codicibus Basil., Voss. II., Vratisl. II., in Romana utraque et in omni libro edito antiquissimo" (Naeke), altera offensio ex Naekii verbis intelligitur: ,,Non alienum est usitatum poëtis latinis ,,quicquid ero." Sed tamen hoc de homine in elementa ignis et aquae post mortem dissolvendo non memini me legere alibi. Neque totus similis est locus apud Scaligerum Homericus Il. VII. 99. (ἀλλ' ὑμεῖς μὲν ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε, ex quo Catorem sententiam sumpsisse Scaliger suspicatus erat). Et quod adscripsi, aut ab alio comparatum, aut a me ipso annotatum, ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί, Epigr. Incert. Brunck. DCXXXVII. Suid. v. Τιβέριος, sensu multum diverso dictum esse apparet." Haec sufficere videntur ad versum illum loco movendum. Cum v. 102. etiam v. 103. suspectus redditur, quum uterque eodem fato usus esse videatur. Non tamen dubito, quin a Catone profecti sint. Sed jam antiquitus ex genuino loco post v. 90. in finem carminis translati sunt. V. 102. nonnullis librariis suspicionem movit propter singularem sententiam; quare in paucis codicibus non invenitur; v. 103. praecedentibus satis aptus videbatur; quo factum est, ut a nonnullis librariis retineretur. Ostendimus vv. 102. 103. eo loco, quo inveniuntur ineptos esse; restat ut demonstrem optime ad sententiam facere, si post v. 90. legantur. Poeta igitur in priore carminis parte agrum igni, in altera aqua devovit; v. 89 et 90. agro vale dicit, ,,semper tamen sese eum esse amaturum, quamvis votis suis ignis aut aqua factus fuerit: licere enim sibi, gaudiorum ejus semper esse memorem:"

Dulcia rura valete, et Lydia dulcior illis,
et casti fontes et felix nomen agelli:

quamvis ignis eris, quamvis aqua, semper amabo:
gaudia semper enim tua me meminisse licebit.

Qua versuum collocatione omnes difficultates tolluntur. Versum 102. huic loco esse aptissimum sine ullo negotio intelligitur. Sed ,,gaudia semper enim tua me meminisse licebit", multo etiam melius de agro amoeno et pulchro, quam de muliere amata dici, omnibus recte consideratis, certissimum est [21]).

Jam satis luculenter demonstrasse mihi videor, carmen nostrum mutationes librariorum esse expertum. Quod multo magis de ephymniis valet, quum in hoc versuum genere latior librariorum arbitrio campus pateret; simulque vacillare incipit Naekii sententia, ,,Catonem non curasse, ut paribus intervallis poneret incacalares, quo paria fierent media inter versus intercalares systemata" (p. 24), quum certo proodus et epodus sibi respondeant. In his autem non sola responsionis vestigia inveniuntur, sed ipsi intercalares eam produnt. Comparentur modo v. 54:

Tristius hoc, memini, revocasti Battare carmen,

et v. 71:

Dulcius hoc, memini, revocasti Battare carmen.

v. 75:

Tristius hoc rursum dicat mea fistula carmen.

Neque caussa invenitur, cur Cato v. 25. 47. 54. 71. 97. ephymnia posuerit, quum multi loci sint, in quibus eodem jure iis uti poterat. Quam inconstantiam poetarum licentia vix defendere possis. Nihil igitur est veri similius, quam Catonem strophica quadam responsione usum esse.

V. 15—24. in duas partes dividi possunt, in quarum priore poeta fructus agri utiles devovet, in altera jucunda, quae ex agro nascuntur. Utraque pars quinque versibus constat, qui ephymnio praecedente separandi sunt. V. 19. intercalaris habendus non est; ejus sententia ex ira poetae originem traxit, quae ejus animum per totum carmen occupat, cf. v. 3. 62. Hac ratione duae strophae quinorum versuum efficiuntur. Aliud ephymnium est v. 25:

Sic precor et nostris superent haec carmina votis,

quod v. 47. redit. Amplectitur autem hoc ephymnium unum et viginti versus, qui optime in duas partes separantur: v. 27—36, 37—46, quae duas strophas denorum versuum efficiunt. Versum 30. spurium habeo [22]). Utraque stropha similiter clauditur:

v. 36: . . . . . cinis haec tibi fiat oportet.
v. 46: . . . . cinis omnia fiant.
Post versum 36 reponendum ephymnium
Sic precor etc.

Alteri carminis parti, qua poeta agrum undis devovet, stropha sex versuum, ut priori, praemittitur, v. 48—53. Primum hujus partis ephymnium est v. 54:

Tristius hoc, memini, revocasti Battare carmen [23]);

sequuntur sedecim versus, qui duas strophas octonorum versuum constituunt: v. 55—62, v. 63—70. Post versum 62. intercalaris:

Dulcius hoc, memini, revocasti Battare carmen,

ponendus est; post v. 70. est transferendum ephymnium v. 75:

Tristius hoc rursum dicat mea fistula carmen.

Ab hoc versu non stropharum paria sed alternae sibi respondentes inveniuntur.

Ac prima quidem septem versibus 77—79. (transposito v. 75.) constat; quae sequitur sex versus habet: v. 80—85. A praecedente autem separatur ephymnio:

Dulcius hoc rursum dicat mea fistula carmen.

Tertia stropha septem versibus constat 86—90 + 102. 103. Separatur a praecedente ephymnio:

Tristius hoc rursum dicat mea fistula carmen,

a sequente autem ephymnio:

Dulcius hoc rursum dicat mea fistula carmen.

Sequitur ultima stropha sex versibus constans 91—96 cum ephymnio:

Extremum carmen revocemus Battare avena.

Extremum autem carmen efficit epodus, quae proodo sententia et versuum numero respondet. Schema igitur stropharum hoc est:

exord.	prood.			ep.
3	4	6. 5. 5. 10. 10.	6. 8. 8. 7. 6. 7. 6.	4.

Quo autem uno quasi obtutu totius carminis forma eluceat, integrum ex mea divisione apponam.

Valerii Catonis Dirae.

Exord. Battare, cycneas repetamus carmine voces:
divisas iterum sedes et rura canamus,
rura, quibus diras indiximus, impia vota.

Prood. Ante lupos rapient haedi, vituli ante leones,
delphini fugient pisces, aquilae ante columbas,
et conversa retro rerum discordia gliscet
multa prius, fuerit quam non mea libera avena.

Battare, cycneas repetamus carmine voces.

Str. α'. Montibus et silvis dicam tua facta, Lycurge,
impia. Trinacriae sterilescant gaudia vobis,
nec fecunda senis nostri, felicia rura,
semina parturiant segetes, non pascua colles,
non arbusta novas fruges, non pampinus uvas,
ipsae non silvae frondes non flumina montes.

Rursus, et hoc iterum repetamus Battare carmen.

Str. β'. Effetas Cereris sulci condatis avenas,
pallida flavescant aestu sitientia prata,
immatura cadant ramis pendentia mala,
desint et silvis frondes et fontibus humor,
nec desit nostris devotum carmen avenis.

Rursus, et hoc iterum repetamus Battare carmen.

Str. β'. Haec Veneris vario florentia serta decore,
purpureo campos quae pingunt verna colore:

hinc aurae dulces, hinc suavis spiritus agri
mutent pestiferos aestus et tetra venena.

Sic precor, et nostris superent haec carmina votis.

Str. γ'. Ludimus et multum nostris cantata libellis
optima silvarum, formosis densa viretis,
tondebis virides umbras nec laeta comantis
jactabis mollis ramos inflantibus auris,
militis impia quom succedet dextera ferro,
formosaeque cadent umbrae, formosior illis
ipsa cades, veteris domini felicia regna.
nequicquam: nostris potius devota libellis
ignibus aetheriis flagrabit. Juppiter, ipse
Juppiter hanc aluit: cinis haec tibi fiat oportet.

Sic precor, et nostris superent haec carmina votis.

Str. γ'. Threcis tum Boreae spirent immania vires,
Eurus agat mixtam fulva caligine nubem,
Africus immineat nimbis minitantibus imbrem,
quom tua cyaneo resplendens aethere silva
noscet iter ducens Erebo, tua, Lydia, Ditis.
vicinae flammae rapiant ex ordine vites,
pascantur segetes, diffusis ignibus aura
transvolet, arboribus conjungat et ardor aristas.
pertica qua nostros metata est impia agellos
qua nostri fines olim, cinis omnia fiant.

Sic precor; et nostris superent haec carmina votis.

Str. α'. Undae, quae vestris pulsatis littora lymphis,
littora, quae dulcis auras diffunditis agris:
accipite has voces, migret Neptunus in arva
fluctibus, et spissa campos perfundat arena.
qua Volcanus agros pastus Jovis ignibus arcet,
barbara dicatur Libycae soror altera Syrtis.

Tristius hoc, memini, revocasti Battare carmen.

Str. δ'. Nigro multa mari dicunt portenta natare,
monstra repentinis terrentia saepe figuris,
quom subito emersere furenti corpora[21]) ponto:

haec agat infesto Neptunus caeca tridenti
atrum convertens aestum maris undique ventis
et fuscum cinerem canis exhauriat undis.
dicantur mea rura ferum mare. nauta caveto
rura, quibus diras indiximus, impia vota.

Dulcius hoc, memini, revocasti Battare carmen.

Str. δ'. Si minus haec, Neptune, tuas infundimus auris,
Battare, fluminibus tu nostros trade dolores:
nam tibi sunt fontes, tibi semper flumina amica.
nil est quod perdam ulterius: merita omnia: dictis.
flectite currentis lymphas, vaga flumina, retro,
flectite, et adversis rursum diffundite campis.
incurrant amnes passim rimantibus undis
nec nostros servire sinant erronibus agros.

Tristius hoc rursum dicat mea fistula carmen.

Str. ε'. Emanent subito sicca tellure paludes,
et metat hic juncos, spicas ubi legimus olim.
occubet arguti grylli cava garrula rana.
praecipitent altis fumantes montibus imbres
et late teneant diffuso gurgite campos,
qui dominis infesta minantes stagna relinquant,
unde elapsa meos agros pervenerit unda.

Dulcius hoc rursum dicat mea fistula carmen.

Str. ζ'. Piscetur nostris in finibus advena arator,
advena, civili qui semper crimine crevit.
o male devoti, praetorum crimina, agelli,
tuque inimica tui semper discordia civis:
exsul ego indemnatus, egens mea rura reliqui,
miles ut accipiat funesti praemia belli.

Tristius hoc rursum dicat mea fistula carmen.

Str. ε'. Hinc ego de tumulo mea rura novissima visam,
hinc ibo in silvas: obstabunt jam mihi colles,
obstabunt montes. campos audire licebit:
dulcia rura valete et Lydia dulcior illis,
et casti fontes et felix nomen agelli:

quamvis ignis eris, quamvis aqua, semper amabo:
gaudia semper enim tua me meminisse licebit.

Dulcius hoc rursus dicat mea fistula carmen.

Str. ζ'. Tardius ah miserae descendite monte capellae:
mollia non iterum carpetis pabula nota,
tuque resiste pater. en prima novissima nobis
inteor campos longum: manet ensis in illis.
rura valete iterum tuque optima Lydia salve:
sive eris et si non, mecum morieris, utrumque.

Extremum carmen revocemus Battare avena.

Epod. Dulcia amara prius fient et mollia dura,
candida nigra oculi cernent et dextera laeva,
migrabunt casus aliena in corpora rerum:
quam tua de nostris emigret cura medullis.

Sed fortasse aliquis hanc carminis divisionem nimis artificiosam judicet. Est autem hoc considerandum, Valerium Catonem doctissimum fuisse grammaticum, a Bibaculo cor Zenodoti et jecur Cratetis appellatum; optime igitur leges a Graecis monstratas noverat. Illud autem genus homines grave peccatum judicabant, quum artis leges negligentur. Quam ob rem ab hac quidem parte nullum dubium esse potest, quin poeta in hoc carmine strophica divisione usus sit.

IX. De Pervigilio Veneris.

Hoc carmen vehementer depravatum ad nostra tempora pervenit neque codices multum auxilii praestant, quum in duobus tantum exstet. Nemo autem, qui hanc cantilenam popularem cum editore Pervigilii pristino nitori restituti p. 5. vulgo saepe decantatam esse putat, eam carminis formam,

qua ad nos pervenit, genuinam judicabit. Illud enim necessario requiritur, ut ejusmodi cantilena certam quandam legem sequatur, quae nisi observatur, ad canendum certe difficillima erit. Hoc autem accedit, quod scriptor Pervigilii carmina Calpurnii noverat, in cujus ecloga undecima illa lex obvia erat. Itaque dubitari non potest, quin ipse ephymniorum leges et noverit et in carmine secutus sit. Sed jam antiquitus illa stropharum lex perturbata esse videtur, quum in codicibus nulla ejus vel paucissima vestigia inveniantur. Neque editiones quicquam eorum produnt. In vulgatis enim hi stropharum numeri sunt: 6. 3. 14. 8. 11. 8. 10. 6. 4. 12., in quibus senarius et octonarius bis uterque apparent. Editor vero P. V. prist. nit. rest., quem littera E. abhinc signabimus, hos numeros effecit: 6. 14. 9. 12. 7. 12. 6. 4. 12. Quae divisio paullo magis ad legem quandam accedit, quuum praeter numerum senarium bis positum duodenarius ter repetitus sit. Sed ne haec quidem mihi satisfacit, quum totius carminis natura demonstrare mihi videatur, strophicam rationem a poeta omnino observatam fuisse.

Jure recteque egerunt Heidtmannus et E., quod vv. 9—11. post v. 62. posuerunt. Ubi enim vulgo ponuntur nullam loco aptam sententiam habent. Non minus recte E. v. 58: et recentibus virentes ducat umbras floribus post v. 39. transposuit. De versu autem 56. dubitare licet. E. eum post versum 35. scribendum esse contendit. Vulgatam lectionem versus praecedentis ,,pueri mater alitis" in: ,,diva mater alites mutavit. Caussae vero, quibus posteriorem mutationem fulcire conatur, parum mihi firmae videntur: ,,primum enim non intelligi, cur hoc maxime loco Venus pueri alitis mater dicatur." Quae difficultas subtilior quam verior videtur. Non enim puto poetam hujus carminis adeo fuisse diligentem, ut singula ab omni parte plane perpenderit. Praeterea haec negligentia levissima habenda est. Accedit, quod DIVA haud facile in PVERI ab librario oculorum errore mutari potuit. Si quicquam mutandum esset, potius scriberem: PVLCRI mater alitis. Transposito autem v. 56. post v. 35. ταυτολογία quaedam evitari non potest. Comparentur v. 32:

. . . . nudus ire jussus est,

et v. 34:

sed tamen nymphae cavete, quod Cupido pulcer est,

cum v. 56:

jussit et nudo puellas nil Amori credere.

Oritur quidem *ταυτολογία* etiamsi versus 56. suo loco retineatur, tamen haec paullo diversa ab illa apparet. Hanc enim rationem inter vv. 28—35 et 49—56. intercedere puto: vv. 28—35. maxime de Cupidine agitur; jussus Veneris, ut nymphae adsint, secundarium locum obtinet; vv. 49—56. res invertitur: primaria enim sententia jussum Veneris, secundaria ejus admonitionem continet, ut puellae Amorem caveant. Quae si recte disputavimus, stropharum ratio haud difficulter statui poterit. Totum enim carmen in duas partes recte dividitur: v. 1—74 et v. 76—92. Prioris partis prima stropha sex versibus constat. vv. 13—26. optime in duas strophas septenorum versuum dividi possunt, in quibus scribendis ordinem versuum editionis E. sequor, ita ut prior stropha vv. 9—15. h. ed., altera vv. 16—22. amplectatur. Sequitur stropha octo versuum, 28—35. (vulg.). Quinta duodecim versus, transposito v. 58. post v. 39, habebit. Sexta versus 49—56. amplectitur, eundem versuum numerum ac quarta continet. Septima versuum numero cum quinta concidit, insertis post v. 62. versibus 9—11. Ultima prioris partis stropha, ut prima, sex versibus constat. Jam sequitur secunda pars carminis, quae de vi agit, quam Veneris praesentia in rerum naturam habeat. Dividitur optime in tres strophas vv. 76—79, 81—88, 89—92, quae sententiarum diversitate efficiuntur. Hos igitur carminis strophae versuum numeros amplectuntur: 6. 7. 7. 8. 12. 8. 12. 6. | 4. 8. 4. vel Str. α′. β′. β′. γ′. δ′. γ′. δ′. α′. | ε′. γ′. ε′. Facillime autem hi numeri mente tenentur, quo carmen populare ad canendum fit aptissimum.

Pervigilium Veneris

eph. restitutis.

Cras amet, nunquam amavit, quique amavit, cras amet.

Str. α′. Ver novum jam ver canorum, ver renatum 'st omnibus:
vere concordant amores, vere nubunt alites,
et nemus comam resolvit de marinis imbribus.
cras amorum copulatrix inter umbras arborum
implicat casas virentes de flagello murteo,
cras Dione jura dicit fulta sublimi throno.

Cras amet, qui nunquam amavit, quique amavit, cras amet.

Str. β′. Ipsa gemmis purpurantem pingit annum floreis,
ipsa surgentes papillas de Favoni spiritu
urget in nodos tepentes; ipsa roris lucidi,
noctis aura quem reliquit, spargit humentes aquas.
ecce jam lacrimae trementes de caduco pondere
in ruborem florulentae prodierunt purpurae;
gutta praeceps orbe parvo sustinet casus suos.

Cras amet, qui nunquam amavit, quique amavit, cras amet.

Str. β′. Humor ille, quem serenis astra norant noctibus,
mane virgines papillas solvit humenti peplo.
facta Cypridis de cruore deque amoris osculis,
deque gemmis, deque flammis, deque solis purpuris,
ipsa jussit, mane totae virgines nubant, Rosa.
cras pudorem, qui latebat veste tectus lignea,
unico munita nodo non pavebit solvere.

Cras amet, qui nunquam amavit, quique amavit, cras amet.

Str. γ′. Ipsa nymphas Diva luco jussit ire murteo:
ite nymphae, posuit arma, feriatus est Amor;
it puer comes puellis: nec tamen credi potest,
esse Amorem feriatum, si sagittas exuit.
jussus est inermis ire, nudus ire jussus est,
ne quid arcu, neu sagitta, neu quid igne laederet.
sed tamen, nymphae cavete, quod Cupido pulcer est:
totus est inermis idem, quando nudus est Amor.

Cras amet, qui nunquam amavit, quique amavit, cras amet.

Str. δ'. Compari Venus pudore mittit ad te virgines;
una res est, quam rogamus: cede virgo Delia,
ut nemus sit incruentum de ferinis stragibus,
et recentibus virentes ducat umbras floribus.
ipsa vellet te rogare, si pudicam flecteret,
ipsa vellet, ut venires, si deceret virginem.
jam tribus choros videres feriatos noctibus,
congreges inter catervas ire per saltus tuos,
floreas inter coronas, murteas inter casas.
nec Ceres, nec Bacchus absunt, nec poetarum Deus.
continenter tota nox est pervigilanda canticis:
regnet in silvis Dione, tu recede, Delia.

Cras amet, qui nunquam amavit, quique amavit, cras amet.

Str. γ'. Jussit Hyblaeis tribunal stare Diva floribus.
praeses ipsa jura dicet, assidebunt Gratiae.
Hybla totos funde flores, quotquot annus attulit;
Hybla florum sume vestem, quantus Aetnae
campus est.
ruris hic erunt puellae, vel puellae montium,
quaeque silvas quaeque lucos quaeque fontes
incolunt.
jussit omnes assidere pueri mater alitis,
jussit et nudo puellas nil Amori credere.

Cras amet, qui nunquam amavit, quique amavit,
cras amet.

Str. δ'. Cras erit, quo primus aether copulavit nuptias,
ut pater totum bearet vernus annum nubibus.
in sinum maritus imber fluxit almae conjugis,
unde fetus aleret omnes mixta magno corpore.
tunc cruore de superno spumeo pontus globo
caerulas inter catervas inter et bipedes equos
fecit undantem Dionen de marinis imbribus.
ipsa venas atque mentem permeante spiritu
intus occultis gubernat procreatrix viribus;
perque coelam perque terras perque pontum
subditum

pervium sui tenorem seminali tramite
imbuit, jussitque mundum nosse nascendi vias.

Cras amet, qui nunquam amavit, quique amavit, cras amet.

Str. α'. Ipsa Trojanos penates in Latinos transtulit,
ipsa Laurentem puellam conjugem nato dedit,
moxque Marti de sacello dat pudicam virginem
Romulas et ipsa fecit cum Sabinis nuptias:
unde Ramnes et Quirites perque prolem posteram
Romuli patres crearet et nepotes Caesares.

Cras amet, qui nunquam amavit, quique amavit,
cras amet.

Str. ε'. Rura fecundat voluptas, rura Venerem sentiunt;
ipse Amor, puer Dionae, rure natus dicitur:
hunc, ager cum parturiret, ipsa suscepit sinu;
ipsa florum delicatis educavit osculis.

Cras amet, qui nunquam amavit, quique amavit,
cras amet.

Str. γ'. Ecce jam subter genestas explicant tauri latus,
quisque torvus quo tenetur conjugali foedere.
subter umbras cum maritis ecce balantum greges;
et canoras non tacere Diva jussit alites:
jam loquaces ore rauco stagna cygni perstrepunt;
adsonat Terei puella subter umbram populi,
ut putes motus amoris ore dici musico,
et neges queri sororem de marito barbaro.

Cras amet, qui nunquam amavit, quique amavit, cras amet.

Str. ε'. Illa cantat, nos tacemus. Quando ver venit
meum?
quando faciam ceu Chelidon, ut tacere desinam?
perdidi Musam tacendo, nec me Phoebus respicit:
sic Amyclas, quum tacerent, perdidit silentium.

Cras amet, qui nunquam amavit, quique amavit,
cras amet [25].

Adnotata.

---

[1]) Facere non possum, quin paucis ephymniorum quae apud quasque gentes obtinent, naturam et diversitatem proponam, quum haec nemo dum virorum doctorum attigerit. Quae res non levis momenti est, quanquam primo obtutu videri possit. Nam gentes non solum colore, crinibus, corporis structura habituque, verum etiam atque vel maxime ratione differunt ea, qua ingenii facultates animique motus produnt. Haec autem in cognoscenda hominum natura indoleque plurimi sine dubio facienda est. Qua in re etiam leviora respicienda sunt. Haec enim plerumque melius, quam majora hominum naturam nos docent. Hoc vel inde potest intelligi, quod studio et eruditione majora illa possunt adquiri, minora autem et leviora nunquam possis tibi comparare.

Redeamus ad propositum. Omnium gentium maxime Graecos et Germanos quoad ephymnia cognatos esse opinor. Quamvis enim ephymniorum, quae a Graecis nobis servata sunt, haud ita magnus appareat numerus, tamen satis superque eorum frequentiam et varietatem prodit. At etiam apud Germanos frequentissima et diversissima esse cuilibet elucebit, qui vel paullulum in cognoscendis carminibus popularibus versatus fuerit. Unde autem haec illarum gentium similitudo? Absque dubio ex ingenii natura vitaeque consuetudine petenda est. Notissimum est omnibus, Graecorum naturam fuisse capacissimam laetitiae et doloris, omnia eadem profunditate amplectentem. Idem de Germanis dicendum est; tamen hi paullo doloris, quam laetitiae capaciores judicandi sunt. Hujusmodi autem hominibus ephymnia maxime conveniunt. Apud Graecos ephymniorum eandem frequentiam, quam apud Germanos non fuisse, inde optime explicatur, quod hilaritas eorum tam amans non est, quam tristitia moerorve, quorum Germanis major copia, quam Graecis, con-

cessa est. Plurima enim Germanorum carmina popularia in pingendis amoris doloribus versantur, omniumque longe plurima ephymnia habent. Etiam apud Graecos in carminibus amatoriis potissimum ephymnia inveniuntur, praesertim in iis, quorum argumentum triste plenumque doloris est; cf. Theocr. I. II. Bion. Epit. Ad., Mosch. Epit. Bion.

Latinorum contra ingenium severius magisque sibi constans ad cogitandum potius, quam ad sentiendum comparatum erat. Itaque triste ephymniorum genus ab eorum carminibus vel abesse vel a Graecis translatum esse videtur. Virgilius enim Theocritum imitatus eo usus est. Accedit, quod hujus poetae ingenium omnium maxime Graecorum naturae simile est. Catullus autem levitate quadam et mobilitate excellit; quam ob rem in carminibus laetioris, quam tristis argumenti praestantior apparet. — Ex illa igitur Romanorum ingenii natura ephymniorum paucitas originem duxit. Tamen non nego, in carminibus popularibus hic illic usitata fuisse. Quam Graecorum et Germanorum frequentiam et varietatem, qua in ephymniis adhibendis usi sunt vel utuntur, cum aliarum gentium ephymniis comparaveris, mira diversitas apparebit. Ac Franci quidem Italique et Hispani hac ratione haud longe a Germanis distant, quum jam antiquis temporibus cum his vitae consuetudinem inierint. Multo autem major differentia apud gentes apparet eas, quae orientem versus habitant, Russos dico gentesque cognatas; abs quorum carminibus saepissime quum divisio strophica absit, ephymnia sensu stricto frequentia non sunt. Sed hemistichia repetunt cf. Wolff. l. c. p. 49: Jünglings Kummer. In his autem repetitionibus tardum quoddam lentumque inest, quod nemo ab harum gentium natura ingenioque alienum esse negabit. Haec sufficiant ad demonstrandum etiam in rebus, quae leves videantur, multa ad recte de hominum ingenio judicandum quaeri posse et reperiri.

2) *Πρόᾳσμα* ad cantum referendum est significatque praetentationem vel proludium, prolusionem quae carmini praemittitur. Eodem modo apud tibicines *προαύλιον*, *προαύλημα*, apud fidicines *προανάκρουσις*, *προκιθάρισμα* invenitur. Verbum autem generale omnes proludendi modos amplectens apud Graecos *ἀναβάλλεσθαι*, *ἀναβολή*, Hom. Od. α'. 155:

ἦτοι ὁ φορμίζων (Φήμιος) ἀνεβάλλετό καλὸν ἀείδειν.

Theocr. VIII. 71:

δεύτερος ἂν Δάφνις λιγυρῶς ἀνεβάλλετ' ἀείδειν.

Vossius . . . . und sang nach melodischem Vorspiel.

Id. X. 23:

καί τι κόρας φιλικὸν μέλος ἄμβαλεν.

Clarius *ἀναβολὴ* illa ab ipso cantu distinguitur apud eundem Theocr. VI. 20:

τῷ δ' ἐπὶ Δαμοίτας ἀνεβάλλετο καὶ τάδ' ἄειδεν.

Vossius:

Jetzo hub auch Damoetas sein Vorspiel und den Gesang an.

Pind. Pyth. I. 6:

ἀγησιχόρων ὁπόταν προοιμίων ἀμβολὰς τεύχῃς ἐλελιζομένα.

Arist. Pac. v. 825. (Inv.):

. . . . . . ξυνελέγοντ' ἀναβολὰς ποτώμεναι.

Latini autem de eadem re dicunt praetentare:

Ovid. Metam. V. 339:

Calliope querulas praetentat pollice chordas:

cf. VIII. 7.

Videtur autem ἀναβολὴ illa saepius intra cantum repetita esse. Hoc enim praepositio ἀνὰ significare veri simile est. Ephymnia igitur hoc sensu recte ἀναβολαὶ vocari possunt.

2a) Antiqui etiam grammatici illam in praepositione ἐπὶ vim inesse haud injuria statuerunt. Schol. enim ad Apoll. Rh. Argon. II. 712:

θαρσύνεσκον ἔπεσσιν ἰήιε κεκληγυῖαι.
ἔνθεν δὴ τόδε καλὸν ἐφύμνιον ἔπλετο Φοίβῳ

haec habet: θαρσύνεσκον ἔπεσσιν· ὅτε, (φησὶν), ἐτόξευσε τὸν δράκοντα (cf. Callim. H. Apoll. v. 97 sqq.) ἐπεφώνουν αἱ νύμφαι τοῦ βάλλειν αὐτὸν ἰὴ ἰὴ βέλος. Apoll. Rh. l. c. v. 104:

. . . . ἐπαύτησε δὲ λαός·
ἰὴ ἰὴ παιῆον, ἵει βέλος.

Quibus locis addatur Athenaeus l. XV. p. 701. c, ubi Clearchus narrare traditur, Letonem adhortatam fuisse Apollinem verbis: ἵε παῖ . . . τοῦτο δέ ἐστιν ὡς ἂν εἴποι τις· ἄφιε παῖ, βάλλε. διόπερ ἀπὸ τούτου λεχθῆναι φασὶ τὸ ἵε παῖ καὶ ἵε παιών. Veteres igitur notionem ad, inter statuerunt. Ex schol. loco ad Apoll. Rhod. II. 712. emendandus est locus Etym. M. p. 469. 44; ubi pro ἀνεφώνουν sine dubio ἐπεφώνουν scribendum est, cf. Santen. ad Terent. Maur. p. 148. ed. Lennep.

2b) Quae sententia loco Marii Vietor. p. 2501. optime confirmatur: ,,Hoc loco non supersederim dicere, esse brevia cola, quae post strophen et antistrophon supercini moris est, quae jam non ἐπῳδοὶ sed ἐφύμνια dicentur, ut est ἰὴ παιάν. Haec enim vel hymnis vel dithyrambis supercini moris est, quae de epodicis carminibus, si quando praeponuntur, προύμνια, si autem post antistrophon collocentur, μεθύμνια nuncupabuntur.''

3) Scriptores non sibi semper constant, quum de ephymniis referunt. Exemplo sane luculento est Athen. XV. 696. E.: οὐκ ἔχει δ' οὐδὲ τὸ παιανικὸν ἐπίρρημα, καθάπερ ὁ εἰς Λύσανδρον τὸν Σπαρτιάτην γραφεὶς ὄντως παιάν ὃν φησι Δοῦρις ἐν τοῖς Σαμίων ἐπιγραφομένοις Ὥροις ᾄδεσθαι ἐν Σάμῳ. Παιὰν δ' ἐστὶ καὶ ὁ εἰς Κρατερὸν τὸν Μακεδόνα γραφείς, ὃν ἐτεκτήνατο Ἀλεξῖνος ὁ διαλεκτικός, ὥς φησιν Ἕρμιππος ὁ Καλλιμάχειος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ Ἀριστοτέλους· ᾄδεται δὲ καὶ οὗτος ἐν Δελφοῖς λυρίζοντος

γέ τινος παιδός. Καὶ ὁ εἰς Ἀγήμονα δὲ τὸν Κορίνθιον, Ἀλκυόνης πατέρα ὃν ᾄδουσι Κορίνθιοι, ἔχει τὸ παιανικὸν ἐπίφθεγμα. Καὶ ὁ εἰς Πτολεμαῖον δὲ τὸν πρῶτον Αἰγύπτου βασιλεύσαντα παιάν ἐστιν, ὃν ᾄδουσι Ῥόδιοι· ἔχει γὰρ τὸ ἰὴ παιὰν ἐπίφθεγμα. Hic Athenaei locus satis demonstrat, veteres non uno eodemque vocabulo de his repetitionibus usus esse, saltem ἐπίρρημα et ἐπίφθεγμα apud Athenaeum eandem vim habere, quum utroque de exclamatione ἰὴ παιὰν utatur. Idem de reliquis appellationibus affirmare non dubito, quamquam negare nolo, aliam de alio genere, quod dicunt κατ' ἐξοχήν, fuisse usitatam. Sed tamen plerumque promiscue scriptores iis utuntur.

4) Carmen Sapphus monostrophum fuisse non est veri simile. Quae autem forma stropharum sequentium fuerit difficile est dictu. Equidem mesymnium ὑμήναον etiam in reliquis strophis locum habuisse puto, ita ut ad verbum aliquod praecedens, quemadmodum in nostro fragmento ad μέλαθρον, referretur; fuisse etiam duos versus postremos repetitos in fine stropharum. Argumentum enim totum epithalamiorum illud est, ut sponsus bene excipiatur. Diversa autem jubendo poetria stropharum sententias optime variare poterat. Itaque omnium stropharum hoc schema fuisse puto:

— ᴗᴗ — ᴗᴗ — ᴗᴗ .
ὑμήναον
ᴗ — ᴗᴗ — ᴗᴗ — ᴗᴗ
ὑμήναον
γάμβρος εἰσέρχεται ἶσος Ἄρῃ
ἀνδρὸς μεγάλω πόλυ μείζων.

5) Hoc versuum genus non recte ad ephymnia refertur. Sed quo nihil omisisse viderer, adjunxi.

6) Virum quendam doctum memini suspicari, Aeschylum in Sicilia ephymnia adamavisse. Sed tamen difficillimum est demonstratu, quidnam Siciliae debeat. Nonnulla quidem, quae ad dialectum referenda sunt, L. Ahrens, V. Cl. in libro magna doctrina conscripto de dialectis linguae Graecae lib. II. p. 366, ἐνδοῖ Prom. v. 272 ; p. 384, θην Prom. v. 930; p. 389, μελλώ Agam. v. 1329. Syracusanis deberi, haud injuria suspicatur.

7) Huic loci interprationi potestas vocis τέλος obstare videtur. Aeschylum hoc verbo ita esse usum ut = mysteria, initia esset, satis luculenter ex schol. Soph. OC. 1050. discimus, ubi haec leguntur: τέλη δὲ τὰς τελετάς. Αἰσχύλος· ἔφριξ', ἔρως δὲ τοῦδε μυστικοῦ τέλους. Quanquam plerumque τέλη reperitur. Ab hac vocabuli vi haud multum ea abesse judicanda est, qua omnem rem sacram, praesertim, quarum origo mysterio quodam involuta est, significare possit. Quod quidem

omnium maxime in palladia cadere dicendum est. Quamquam lubenti animo hanc sententiam rejiciam si aptior alia inveniatur. Neque tamen absurda videri potest, si Aeschyli audax ingenium, quo in flectenda verborum vi ac potestate usus est (cf. hoc ipso loco *φιλόμαχον κράτος*), consideretur. Vix enim quisquam veterum scriptorum tot novas voces formavit, adeo a pristina verborum potestate recessit, quam Aeschlyus. Multa tamen depravatis codicibus, qui ex librariorum incuria prodierunt, deberi videntur.

8) Cantilenae Aelinorum inter popularia carmina sunt habendae, quibus mors Lini naturam aestivo calore tabescentem referentis canebatur (*Οἰτόλινος Σαπφοῦς*). Epiphthegma *αἶ Λίνε αἶ Λίνε*, quae est illorum carminum natura, in initio vel fine repetebatur. A vero autem non videtur abhorrere, nonnulla id genus carminum pluribus strophis vel si mavis partibus constitisse, in quarum cujusque fine vel initio epiphthegma illud additum erat.

9) De loci dispositione cf. Thiersch, De locis quibusdam Aeschyli lacunosis in Comment. I. Cl. Acad. Monac. Vol. I. P. II. pag. 13—19.

10) Schol. v. 68: *τοὺς δ' ἄκραντος) τοῦτο ὥσπερ ἐπᾳδόμενόν ἐστι.* Sed editt. versum illum non nisi semel agnoscunt. Quum enim in textu sententiam loci v. 60—67. ad caedem Agamemnonis et Aegisthi Clytaemnestrae stuprum referendam esse demonstravimus, verba autem *τοὺς δ' ἄκραντος κτλ.* generaliora esse, post v. 63 et 67. repeti non possunt. Ceterum scholio docemur repetitiones illas etiam *ἐπᾴσματα* vocari solitas fuisse.

11) Schol. v. 956: *ἰὼ μοῖρα) ἐφύμνιον.*

12) Schol. v. 118: *εὐακοεῖς) νοεῖς καὶ τὴν βάρβαρον φωνήν.*

13) Hosce versus ephymnium esse habendos ex verbis Schol. v. 162: *τὰ δ' ἄλλα διὰ μέσου ἀναπεφώνηται* recte sequi videtur.

14) Io enim a v. 661. choro narrat, quibus rebus factum sit, ut in vaccam commatata per orbem terrarum vagari cogatur. Quae quidem Jus malorum narratio adeo Oceanidum animos commovit, ut eam a narrando detinere studeant. Se enim nunquam tantorum malorum famam auribus percipere optasse et perhorrescere Jus facinus videntes, *πέφρικ' εἰσιδοῦσα πρᾶξιν Ἰοῦς.* Tum Prometheus:

πρό γε στενάζεις καὶ φόβου πλέα τις εἶ·
ἐπίσχες ἐς τ' ἂν καὶ τὰ λοιπὰ προσμάθῃς.

Maturius chorum lamentari plenumque esse horrore; abstineat dum re-

liqua audierit. Quibus verbis indicatur, futura Jus fata multo majora narratis esse exstitura, quae quum chorus audierit, meliore eum jure esse lamentaturum. Inde mihi consentaneum videtur, gravioribus auditis chorum verba illa: ἔα ἔα ἄπεχε φεῦ repetisse.

15) Roeder, De trium, quae Graeci coluerunt, comoediae generum rat. ac propriett. pag. 65: „Nonne seria carmina ideo imitatus esse videatur (Arist.) dicendique gravitatem adhibuisse, ut magis etiam joculari modo uti posset? Ita res habet. Plerumque enim fit, ut sententia, quae primo severitatis speciem prae se fert, deinde cognita majorem risum commoveat."

15a) Quum chorus viginti quatuor personis constet, octonis singulae strophae tribuendae sunt. Ephymnium autem toti choro canendum fuisse maxime probabile est.

16) Plurimum in hanc sententiam facit Schol. v. 1333: ἐν τούτοις φέρονται κατά τινας παραγραφαὶ, ἵνα ὁ χορὸς ἀνὰ μέρος αὐτὰ λέγῃ.

17) Schol. v. 209: ἐπίφθεγμα δὲ ποιὸν τοῦτο. κέχρηται δὲ αὐτῷ ὡς ἐφυμνίῳ ὁ τῶν βατράχων χορός.

18) cf. Hartung, Hymenaeus in Schneidew. Philol. III. p. 238 sqq. G. H. Kortenii programmate, quod de carm. 61. Aquisgran. 1824. scripsit, uti non potui.

18a) Vehementer doleo, mihi haec scribenti Viri Clmi E. a Leutsch commentat. in Götting. gelehrt. Anzeigen 1855 p. 1961 sqq. utendae copiam non fuisse. Itaque sufficiat Viri Dctmi sententiam paucis proponere. Ad rem nostram potissimum faciunt, quae p. 1995 sqq. exponuntur. Post v. 32 sqq. tredecim versus excidisse, ac novem quidem cum ephymnio strophae virginum, quattuor ejus, quam juvenes canunt. Post v. 58. ephymnium esse restituendum, nullam autem post v. 59. lacunam agnoscit. Totius carminis divisio haec statuitur:

iuven.	puell.	iuven.	puell.	iuven.
στρ. α'.	ἀντιστρ. α'.	ἐπῳδ.	στρ. β'.	ἀντιστρ. β'.
1—5	6—10	11—19	20—25	26—31
5	5	9	6	6
puell.	iuven.	puell.	iuven.	iuven.
στρ. γ'.	ἀντιστρ. γ'.	στρ. δ'.	ἀντιστρ. δ'.	ἐπῳδός.
32—	33—38	39—48	49—58	59—66
10	10	11	11	8

19) Quem Catulli versum respexisse videtur Plinius, H. N. 28, 2. s. 4: „Hinc Theocriti apud Graecos, Catulli apud nos proximeque Vir-

gilii incantamentorum amatoria imitatio", nisi forte Catullus in alio carmine nunc deperdito simili versu usus esse putandus est.

20) Versus hujus carminis 105 a poeta consulto per parenthesin positus esse mihi videtur. Simaethae enim oratio hoc loco vehementer concitata est, omnes ejus animi memoria illius temporis, quo primum Delphidem ad se venientem vidit, prorsus commoventur, ita quidem ut vocem aliquantum cohibere putanda sit, priusquam v. 106. proferat:

Allein, wie ich eben ihn sahe
über die Schwelle der Thüre mit leichterem Fusse sich schwingen:
— — — — — — — —
mehr als der Schnee erkaltet' ich da, es trof von der Stirn mir rinnend der Schweiss.

Quod intervallum optime ephymnio expletur. Sed hac interpretandi ratione in v. 135. uti non possumus, quamvis item per parenthesin positus sit. Quo enim cunque te converteris, nulla reperitur caussa, cur hoc loco positus, in reliquis omissus sit. Itaque haud injuria spurium judicaveris. Ceterum Naekius erravit, „orationem Simaethae totam ad eum modum compositam esse" judicans (Animadv. ad Cat. Dir. v. 30), „ut versus intercalaris semper per parenthesin accipi debeat." Ipsa enim narrationis natura ita fert, ut per gradus quosdam ad finem descendat oratio.

21) Non potest Naekii sententia probari, qui gaudia tua idem esse scripsit, ac si poeta diceret: quae ex te percepi. Hunc sensum a loco alienissimum esse elucet. Tum dicendum erat: gaudia mea. Haec enim sunt gaudia, quae ipse percipio; gaudia vero tua, quae tu percipis. Alia autem res est, ubi de agri gaudiis agitur. Ager enim gaudia percipere non potest, sed parare. Sunt igitur ea, quae agro continentur, praebentur, ita ut iis frui liceat.

22) Hoc loco majorem puto latere corruptelam. Nam vv. 26—36. undecim, 37—46. decem sunt. In priore stropha unus versus abundat. Sed difficillimum est dictu, quinam spurius habendus sit, quum non unus habeat, quae offendere possint, quum praeter v. 26. etiam v. 30, qui a Naekio intercalaris habetur, mihi quidem orationem vehementer perturbare videatur. Primum, versus 30 intercalaris non est; nam ad alia carmina, non nostrum referenda est ejus sententia (cf. Naeke ad h. v. pag. 61.). Quod quam verum sit optime intelligitur, si reliquos hujus carminis intercalares cum v. 30. comparentur. Abjudicata huic versui ephymnii natura e carmine removendus videtur. Nam toto illo loco de sola silva, non de se ipso poeta loquitur, sui mentionem non facit nisi interrupta oratione quae de silva agit; ejecto versu nihil est, quod offendat:

jactabis mollis ramos inflantibus auris
militis impia quom succedet dextera ferro 31.
formosaeque cadent umbrae . . .

Versus autem 31 per parenthesin positus est, quo proprius cades ad nequicquam accedat; qua quidem collocatione mirum quantum totius loci vis augetur. Itaque omnibus bene consideratis magis eo inclino ut v. 26. retinendum v. 30. ejiciendum putem. Sed alia hoc loco quaestio movenda est. Vv. enim 39—46. ita comparati sunt, ut bene ephymnio post v. 41. posito separari possint, quum vv. 37—41. ad silvam referri debeant, vv. 42—46. de vinetis et agris agere appareat. Tum vero magna difficultas oritur, quum versibus 26—36, qui in duas strophas quinorum versuum dividi non possunt, nulla stropha respondens inveniatur. Unde suspicio oritur, post v. 25. stropham decem versuum interisse. Quam vero illius sententiam statuamus? Multa sunt in carmine indicia, quae Lydiam non secundas partes tenere ostendunt, cf. v. 89, 95—101. Itaque mihi veri simillimum videtur, poetam in illa stropha gaudia agri et amores Lydiae cecinisse. Quid? si v. 30. ex illa stropha reliquum statuamus? Sententia saltem non obstat, tolliturque difficultas, quonam referendus sit. Etiam hoc accedit, quod verbi ludimus vis optime se habet, quum ad ejusmodi sententiam, qualem stropham illam deperditam continuisse suspicati sumus, referatur. Ceterum haec non pro veris certisque vendito. Illud autem mihi persuasum habeo, locum v. 26—36, qualem legimus, a Catone profectum non esse.

23) Naekius parum recte de vi ac potestate verborum tristius et dulcius exposuit. Esse referenda ad carminis argumentum versus 75. luculenter demonstrat. Potest enim argumentum triste, potest etiam dulce vocari: prius ex rei natura sequitur, dulce autem recte dicitur, quod poeta hoc carmine irae suae satisfactionem vult comparare.

24) Errat Naekius ad Cat. Dir. v. 57. corpora etiam de iis dici, quae excellunt pulchritudine ut in Ciri v. 202. de puellis in aves mutatis:

. . . . vos o pulcherrima quondam
corpora.

Quo loco vir eximius ad sententiam probandam uti non potuit. Corpora enim ad puellarum formam praesentem, quum eas non alias ac revera sunt, alloqui aliquis possit, pulcherrima autem ad pristinam avium humanam formam referendum est. Itaque solo vinculo grammatico cum verbo corpora conjunctum est adjectivum. Quare sententiam ita reddere possis: ,,vos o corpora, quae quondam pulcherrimae puellae fuistis.''

25) Numerus versuum Pervig. Ven. in cod. Salm. XXII. esse dicitur. Ex quo numero E. cum aliis XCII. faciendum esse statuit. Pos-

sis etiam omisso intercalari LXXXII. scribere, tot enim ipsius carminis versus numerantur. Festinantem autem librarium magis finem verborum oculis figere experientia quemque docet. Qui numerus si recte habet, suspicari possumus, versum intercalarem postea in carmen fuisse illatum, quum illa cod. Salm. nota ei jam esset adscripta. Interdum enim accidit, ut homines populares ephymnia in carmina inferant, quamvis a poeta nullum additum sit.

Corrigenda.

Pag. 4. lin. 13. pro *aeeinat* l. *accinat;* ibid. lin. 14. pro *haee* l. *haec;* ibid. l. 17. pro *straphis* l. *strophis;* ibid. l. 3 (inf.) pro *alia* l. *aliam;* ibid. 2 (inf.) pro *potentatem* l. *potestatem;* pag. 9. lin. 17. pro *intantorem* l. *incantatorem;* ibid. l. 24. pro *dudio* l. *dubio;* p. 13. l. 12. pro *Gnaecos* l. *Graecos;* p. 15. l. 14. pro *tristropham* l. *tristrophum;* p. 19. l. 1. post *carmen* insere *majus;* p. 20. l. 14 (inf.) pro *excidesse* l. *excidisse;* p. 30. l. 15. pro *ephymnim* l. *ephymnium;* p. 43. l. 17. dele *a liena;* p. 44. l. 3. pro *thalumum* l. *thalamum;* p. 46. l. 1 (inf.) pro *ephymnino* l. *ephymnio;* p. 51. l. 14. pro *incacalares* l. *intercalares;* p. 52. l. 11 (inf.) pro 77 l. 72; p. 56. l. 7. pro *inteor* l. *intueor*; p. 57. l. 15. pro *quuum* l. *quum*; p. 63. l. 17. ante *comparaveris* insere *si.*

Index capitum.

Vita.

Natus sum Franc. Casp. Goebbel Budbergae Guestph. a. h. saec. XXVIII. patre Casp. Theodoro, matre Anna Maria e gente Habbes, quibus adhuc viventibus gaudeo. Primis literarum elementis imbutus inter discipulos gymnasii Paderbornensis receptus sum. Post quatuor annos maturitatis quod dicunt testimonio instructus ibidem per unum annum disciplinis philosophicis vacans docentes audivi VV. Cll. Gundolf, Michelis, Oswald, Püllenberg, b. m. Inde Tubingam me contuli, ubi scholis usus sum VV. Cll. Aberle, Hefele, Roth, Teuffel, Welte, Zukrigl. Deinde per semestre Paderbornae commoratus per annum et dimidium munere praeceptoris functus sum. Tum Monasterium me contuli, ubi civibus academicis adscriptus per duos annos docentes audivi VV. Cll. Deycks, Heis, Karsch, Rospatt, Winiewski, simulque semin. philol. et paed. per dimid. annum socius extraordinarius, per dim. ordinarius fui. Auctumno a. pr. hanc almam literarum academiam adii, ubi docentes audivi VV. Cll. C. Hoeck, E. a Leutsch, Th. Müller.

Omnibus autem viris optime de me meritis et nunc gratias ago et semper habebo quas possum maximas.
